Wald

SAM. THEOPHILI WALD
THEOLOGIAE SYMBOLICAE LVTHERANAE DESCRIPTIO.

HALAE SAXONVM

TYPIS ET IMPENSIS I. C. HENDELII.

cIↄ Iↄ CCLXXXVI.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

FRIDER. GOTTLOB DE BERLEPSCH

DYNASTAE IN HENNIGSLEBEN

LEISLAV CAET.

SVMMI SENATVS ECCLESIASTICI DRESD.

PRAESIDI

DOMINO ET PATRONO SVO

SVMMA PIETATE COLENDO

LIBELLVM HVNC ACADEMICVM

OBSERVANTIAE CAVSSA

EA QVA PAR EST REVERENTIA

D. D. D.

SAMVEL THEOPHILVS WALD.

LECTORI DOCTO ET AEQVO

SAM. TH. WALD.

S.

Symbolicam nostrae societatis ecclesiasticae theologiam, nostris iuuenibus, traditurus, illam non modo historico-critice sed etiam dogmatice tractandam esse iudico. Quae igitur, ab aliis, nomine introductionis vel institutionis Theol. Symb. doceri solent, ea omnia prolegomenis comprehendo et conspectum dogmatum, quae in libris nostris publicis continentur, ipsis eorum verbis, obseruato simul et scientiae quodam ordine*) et temporis discrimine, in tractatione propono cognoscendum. Quo effectum iri non dubito, vt intelligatur, primo quae origines ac fata systematis nostri fuerint; deinde, quae

*) In illis recensendis ordinem locorum comm. theol. MELANCHTHONIS seruo.

quae propria ſint eccleſiae noſtrae dogmata, et quam non cum iis pugnent, SEMLERI de canone, apocalypſi, de euangelio Ioannis ac Paulli epiſtola ad Romanos, reliquis aliis libris ſacris longe praeferendis, iudicia, quae a Flacianis, Calouianis et Cruſianis, ἑτεροδοξων nomine traduci ſolent, quum tamen ipſe Lutherus itidem iudicarit *).

Sym-

*) Ita enim LUTHERUS (*Vorrede auf das N. T.* 1524.): *weil nun Iohannes gar wenig* Werke *von Chriſto, aber gar viel ſeiner* Predigten *ſchreibt, ſo iſt Iohannis Evangelium das einige zarte Haupt-Evangelium und denen andern dreyen* weit *vorzuziehen und höher zu heben. Alſo auch Pauli und Petri Briefe weit über die 3 Evangelien, Matthaei, Marci und Lucae gehen. Summa: Iohannis Evangelium und* erſte *Epiſtel, Pauli Briefe, ſonderlich zu den Römern, Galatern, Epheſern und Petri* erſte *Epiſtel, das ſind die Bücher*, die dir Chriſtum zeigen und alles lehren, das dir zu wiſſen noth und ſeelig iſt, ob Du ſchon *kein ander* Buch noch Lehre *nimmermehr* ſeheſt und höreſt. — Idem de apocalypſi, SEMLERO durius, iudicat (Vorrede, 1522): *Mir mangelt an dieſem Buche nicht einerley, daß ichs weder apoſtoliſch, noch prophetiſch halte. Aufs erſt und allermeiſt daß die Apoſtel nicht mit Geſchichten umgehen, ſondern mit klaren und dürren Worten weiſſagen, wie Petrus, Paulus und Chriſtus im Evangelio auch thun, denn es auch dem apoſtoliſchen Amt gebühret, klärlich und ohne Bild, oder Geſicht von ſeinem Thun zu reden. Auch ſo iſt kein Prophet*

Symbola illa oecumenica adieci animaduerſionibusque criticis inſtruxi, HENKIVM, virum, ſi quis alius, doctiſſimum, in primis ſecutus. Non nullos hic illic laudaui libros, hiſtorici praeſertim argumenti a iuuenibus, theologiae ſtudioſis, qui liberalem eruditionem amant, cognoſcendos et legendos. Nec facile laudaui vllum, quem non ipſe vſu cognouiſſem. Editiones tamen nonnullas rariores, quas omnes conferre non potui, ex aliorum recenſione allegaui.

Auctoritatem aliorum non contemno et ſperno. Ingenuam tantum, quae euange-

phet im A. T., geſchweige im Neuen, *der ſogar durch und durch mit Geſichten und Bildern handelt;* daſs ichs faſt gleich bei mir achte dem vierten Buch Eſras und allerdings nicht ſpüren kann, daſs es vom heiligen Geiſt geſtellet ſey. *Dazu dünkt mich das alzuviel zu ſeyn, daſs er hart ſolch ſein eigen Buch mehr, denn keine andre heil. Bücher thun,* da viel mehr an gelegen iſt, *befielet und dräuet* — ſo doch niemand weiſs, was es iſt — Mein Geiſt kan ſich in das Buch nicht ſchicken, *und iſt mir die Urſach genug*, daſs ich ſein nicht hoch achte, *daſs Chriſtus weder darinn gelehret noch erkannt wird etc.* Nec diſplicuit LVTHERO, CAROLSTADII *de canonicis ſcripturis libellus*, Viteb. 1520. CLERICO et SEMLERO dignus.

gelicum doctorem et decet et ornat, libertatem, amo et mihi vindico. Non igitur fieri posse arbitror, vt meis studiis alii offendantur. Quod si quis aliter de illis sentit, perpendat rogo, Plinii illud, rem arduam esse vetustis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam et naturae suae omnia.

Ita faxit Deus O. M., vt futuri religionis doctores, quibus in primis tum hoc meo libello tum lectionibus in eum habendis, inseruire constitui, tandem aliquando intelligant, externas illas Christianorum societates, coniungi nunquam posse aut debere; sed contra ea discant Iesu Christi exemplo omnes etiam aliter sentientes, amore prosequi, felicitatem omnium adiuuare, a variis in viuendo vitiis, quae et Deo vehementius displicent, et religioni magis obstant, quam omnes opinionum varietates, vel maxime abstinere, et ita Deo verbis ac factis honorem exhibere.

Scr. in vniuersitate Lipsiensi, Kalendis Februariis, anno post Christi natales CIϽIϽCCLXXXVI.

PRO-

PROLEGOMENA
DE LIBRIS SYMBOLICIS IN VNIVERSVM.

§. I.

Libros nostros symbolicos, tria scilicet symbola, Apostolicum, Nicaenum, Synodo Constantinopolitana particulis quibusdam auctum, et Athanasianum, confessionem Augustanam, eiusque apologiam, articulos Smalcaldicos, vtrumque Lutheri catechismum, et concordiae formulam, *liber christianae concordiae*, complectitur. Sunt etiam nonnulli singularum quarundam ecclesiarum proprii libri publici. *Misnicarum* olim fuerunt MELANCHTHONIS loci praecipui theologici; examen ordinandorum; confessio doctrinae saxonicarum ecclesiarum et responsiones ad impios XXXI articulos Bauaricae inquisitionis, nec non refutatio erroris Serueti et Anabaptistarum et responsio de controuersiis Stancari. Item articuli visitatorii. *Pomeranicarum*, de sacra coena canones; liber contra coelestes prophetas Carolstadium et sequaces; liber, quod verba, hoc est cor-

corpus meum, adhuc firma ſtent, contra Zuinglium et Oecolampadium; magna confeſſio de coena (a. MDXXVIII) et breuis (a. MDXLIV.) nec non epiſtola ad Francofurtenſes, quae omnia ſcripta a LVTHERO ſunt profecta. *Boruſſicarum*, corpuſculum doctrinae ſanctae pro eccleſiis et ſcholis in epiſcopatu Pomezanienſi, a WIGANDO editum. *Thuringicarum*, confeſſio ſtatuum prouincialium Thuringiae, tempore certaminis interimiſtici, auctore MENIO, nec non confutatio corruptelarum Serueti, Schwenkfeldi, Antinomorum, Anabaptiſtarum, Sacramentariorum, de libero arbitrio, Oſiandri et Stancari, Maioris et Adiaphoriſtarum, a FLACIO ſcripta. *Brunsvicenſium* et *Luneburgenſium*, VRBANI REGII libellus de formulis caute loquendi, et CHEMNITII appendix ſolidae informationis de praecipuis articulis controuerſis. Quibus libris publicis addi poſſunt ordinationes eccleſiaſticae, liturgiae et libri rituales.

1. Ad libros noſtros ſymbolicos iudicandos et intelligendos in ſubſidium vocari poſſunt tum editiones et expoſitiones illorum principes, tum ſcriptores hiſtoriae eccleſiaſticae. Editionum notitiam egregie adiuuat IAC. GVIL. FEVERLINI *Bibliotheca Symbolica Evangelica Lutherana*, quam IO. BARTH. RIEDERERVS Norimbergae 1768. 8. au-

Evan-

ctam et emendatam edidit; expositionum autem et scriptionum ad historiam eccles. pertinentium, IO AVG NOESSELTI *Anweisung zur Kentniß der besten allgemeinen Bücher in allen Theilen der Theologie*, ed. II. Lips. 1780. 8, Part. I, Sect. III.

Quod *principes* librorum nostrorum symbolicorum communium *editiones* adtinet, prima *germanica* prodiit Dresdae a. 1580, ita inscripta: *Concordia, christliche, wiederholte, einmüthige Bekenntnis nachbenannter Churfürsten . . . . Augsp. Confession.* Fol. Recensionem eius sequuntur reliquae editiones germanicae, quas inter WEISSIANA, Lips. 1739. 4, et BAVMGARTENIANA, (instructa lectionis varietate) Hal. 1747. 8, optimae censentur. Prima *Latina*, erroribus ridiculis referta, a. 1580, altera correctior a. 1584, vtraque Lipsiae, charta quadruplicata, in lucem emissa est. Alterius recensionem exhibet RECHENBERGII editio, vsu fere omnium communi recepta, quae, vice prima, Lips. 1678, septima, ibidem, a. 1732. 8, prodiit, ita inscripta: *Concordia, pia et vnanimi consensu repetita confessio fidei et doctrinae Electorum ... qui Aug. Conf. amplectuntur... cum appendice tripartita isagogica ad libros eccles. Luth. Symbolicos ... cum indice haeresium, conciliorum, colloquiorum theologicorum etc* Textum *germanico - latinum* exhibent editiones a REINECCIO et WALCHIO curatae. *Concordia germanico latina . . . studio atque cura* CHRISTIANI REINECCII, Lips. 1708, recus. a. 1735. 4. *Christliches Concordienbuch . . . . deutsch und lateinisch . . . mit historischen Erläuterungen herausgegeben von* IO. GEORG WALCH, Ien. 1750. 8.

Li-

Librorum ſymbolicorum *explanatores*, vel momenta hiſtorica illuſtrarunt, vel dogmatica potiſſimum expoſuerunt et defenderunt. Priori generi annumerandi ſunt, IOH. GEORG. WALCHIVS et SEMLERVS, poſteriori, CARPZOVIVS, BOERNERVS et BAVMGARTENIVS. IOH. GE. WALCHII *Introductio in libros eccleſ. Lutheranae ſymbolicos, obſſ. hiſt. et theologicis illuſtrata*, Ienae 1732. 4. IOH. SAL. SEMLERI *Apparatus ad libros ſymbolicos eccleſiae Lutheranae*, Halae 1775. 8. IOH. BENEDICTI CARPZOVII *Iſagoge in libros eccleſiarum Lutheranarum ſymbolicos. . . opus poſthumum a* IO. OLEARIO —, *continuatum.* Ed. III. Lipſ. 1699. 4. SIGM. IAC. BAVMGARTENS *Eriäuterungen der im chriſtl. Concordienbuche enthaltenen ſymboliſchen Schriften.* Ed. II. Halae 1761. 8. Selecta librorum ſymbolicorum capita egregie illuſtrantur *Vindiciis librorum Eccleſ. Luth Symbolicorum a* IO. FRID. WALLISERO conſcriptis. Ed. II. Ulmae 1738. 8.

Qui argumentum librorum ſymbolicorum penitus perſpicere cupiunt, ii et ſcripta aequalium, LVTHERI in primis atque MELANCHTHONIS, et praecipuos hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptores adeant. Inter hos merentur in ſuccum et ſanguinem, quod aiunt, conuerti KRAVSAEVS, SEMLERVS, PETAVIVS, RÖSLERVS FVCHSIVS, vterque WALCHIVS et PLANKIVS. IOH. CHRPH. KRAVSENS *Handbuch der chriſtlichen beſonders deutſchen, politiſchen Kirchengeſchichte.* Hal. 1785. 86. II. 8. IOH. SAL. SEMLERI *Hiſtoriae Eccleſ. ſelecta capita*, Hal. 1767-69. III. 8. EIVSD *Verſuch eines fruchtbaren Auszugs aus der Kirchengeſchichte*, Hal. 1773-78. III. 8. EIVSD. *Geſchichte der chriſtl. Glaubenslehre* quae praemiſſa eſt libris duobus

Baum-

Baumgartenianis, alteri, *Evangelische Glaubenslehre* Hal. 1759. 60. III. 4. alteri, *Untersuchung theolog. Streitigkeiten* Hal. 1762 - 64. III. 4. DIONYSII PETAVII *opus de theologicis dogmatibus notulis Theophili Alethini* (i. e. IOH. CLERICI) Antverp. 1700. VI. fol. *Lehrbegrif der christlichen Kirche in den drey ersten Iahrhunderten ... aus den sichersten Resten des christl. Alterthums, in seinem Zusammenhange vorgetragen von* CHR. FRID RÖSSLER. Francof. ad M. 1775. 8. CHR. WILH. FRANZ WALCHS *Entwurf einer vollständigen Historie der Ketzereien, Spaltungen und Religions Streitigkeiten, bis auf die Zeiten der Reformation.* Lipſ. 1762 - 85. XI. 8. EIVSD. *Entwurf einer vollständigen Historie der Kirchenversamlungen.* Lipſ. 1759. 8. GEORG DAN. FVCHS *Bibliothek der Kirchenversamlungen des vierten und fünften Iahrhunderts in Uebersetzungen und Auszügen aus ihren Acten und andern dahin gehörigen Schriften, sammt dem Original der Hauptstellen und nöthigen Anmerkungen.* Lipſ. 1780 ſqq. IV. 8. C. F. RÖSSLERS *Bibliothek der Kirchenväter, in Uebersetzungen und Auszügen, aus ihren ... besonders dogmatischen Schriften, samt dem Original der Hauptstellen und ... Anmerkungen.* Lipſ. 1776 ſqq. X. 8. C. W. F. WALCHS *Entwurf einer vollständigen Historie der römischen Paebste.* Ed. II. Gott. 1758. 8. *Geschichte der Entstehung, Veränderungen and der Bildung unsers protestantischen Lehrbegrifs vom Anfange der Reformation bis zur Einführung der Concordienformel,* (auctore THEOPH. IAC. PLANKIO), Lipſ. 1781. 83. II. 8. IOH. GE. WALCHS *Historische und theologische Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der Evangelisch - Lutherischen Kirchen* etc. Ed. II. Ien. 1733 - 39. V. 8.

2. *Chur-*

2. *Churſächſiſche Viſitationsartikel vom Iahr 1527 und 28, lateiniſch u. deutſch ... herausgegeben von* GEORG THEOD. STROBEL. Altdorf. 1776. 8. PHIL. MELANCHTHONIS *Hypotypoſes theologicae* ſ. *loci theologici*, Vit. 1521. quos annis 1533 et 1543. auctos et emendatos edidit. *Confeſſio doctrinae Saxonicarum eccleſiarum, ſcripta* 1551 (a PHIL. MELANCHTHONE) vt ſynodo tridentinae exhiberetur (Lipſ. 1553) Viteb. 1572. 8. EIVSD. *examen eorum, qui audiuntur ante ritum publicae ordinationis*, Vit. 1544. f. *Articuli viſitatorii a. C. MDXCII in Electoratu et prouinciis ſuperioribus Saxoniae publicati et iudicibus conſiſtoriorum, ſuperintendentibus ... ad ſubſcribendum et ſeruandum propoſiti et demandati*, (iuſſu Friderici Guilielmi, Electoratus Sax. adminiſtratoris) ab AEGIDIO HVNNIO conſcripti et ad calcem apparatus Semleriani ſuffixi — *Corpus doctrinae Chriſtianae, quae eſt ſumma orthodoxi et catholici dogmatis -- a rev. viro* D. PHIL. MELANCHTHONE, Lipſ. 156[illegible]. fol. Idem germanice prodierat. 1560. *Corpus doctrinae chriſtianae, darin die wahre chriſtl. Lehre ... richtig und rein begriffen iſt, welches ſoll auf ... Barnimbs des Aeltern ... Verordnung in allen* Pommeriſchen *Kirchen ſammt der Biblien u. Tomis Lutheri ... verwahret und demſelben gemäß gelehret werden.* Stetini 1561, f. collectoribus PAVLLO A RHODA, IAC. RVNGIO et GEORGIO VENETO. *Wiederholung der Summa und Inhalt der rechten ... Kirchenlehre ... im Herzogthum Preuſſen etc.* Regiomonti 1567. f. quam Alberti auſpiciis MORLINVS atque CHEMNITIVS ediderunt *Corpuſculum doctrinae ſanctae pro eccleſiis et ſcholis, in epiſcopatu Pomezanienſi*, a. 1575. latine et germanice editum a WIGANDO. *Corpus doctrinae chriſtianae d. i. Summa der chriſtl. Lehre ... durch*

M.

M. Lutherum sonderlich und andre dieser Lande Lehrer zusammengefasset etc. iussu Iohannis Guilielmi, prodiit. Iena 1571 f. *Corpus doctrinae Iulium*, Henricopoli 1576. f. Libros normales Norimbergenses SAVBERTVS edidit: *Zwölf theologische Schriften, sowohl alter als jüngerer Lehrer* etc. Nor. 1646. 4. De libris symbolicis ecclesiae Wirtembergicce vid. CHRISTOPH. MATTHAEI PFAFFII *liber commentarius de actis et scriptis publicis Ecclesiae Wirtembergicae*, Tubing. 1718. 4.

3. IOH. CHRISTOPH. KOECHERI *Bibliotheca liturgica*, quae EIVSD. *Bibliothecae Theol. Symb. et Catechet.* (P. I. Guelferb. 1751. II. Ienae 1769. 8.) adiuncta legitur. C. M. PFAFFII, *de liturgiis, missalibus, agendis et libris ecclesiasticis ecclesiae orientalis et occidentalis veteris et modernae disquisitio*, suffixa ad calcem EIVSD. *institutionum historiae ecclesiasticae*, Tubing. 1721. 8. — HERM. CASP. KOENIG *Bibliotheca agendorum, bestehend aus einem vollständigen Catalogo derer Kirchen-Ordnungen, Agenden u. dgl. Schriften.* Cell. 1726. 4. IOH. IAC. MOSERI *Corpus Iuris Evangelicorum ecclesiastici oder Samlung evangelisch lutherisch und reformirter Kirchen-Ordnungen* etc. Zullichov. 1737. 38 II. 4. MART. LVTHERI *formula* Missae. Viteb. 1523. 4.

§. II.

Libri symbolici declarant doctrinae Lutheranae *publicae* rationem eamque contra Pontificiorum impugnationem defendunt, nec non ministris publicis, aduersus nouas, quae tum ab altera parte protestantium tum a quibusdam socie ta-

tis

tis nostrae doctoribus, moueri dicebantur lites, docendi regulam praescribunt.

Symbolis, et verbalibus et realibus ii, qui erant apud deorum cultores mysteriis initiati, se distinguebant a caeteris, qui eidem sodalitati sacrae adscripti non erant. Simile quid, etiam apud Iudaeos locum habuit. Hi enim sacris et rebus, et libris, ab aliis gentibus separabantur. Christiani primi, ex Iudaeis orti, noua Deum colendi ratione, nouo librorum sacrorum et numero et argumento, noua quadam arcani disciplina, nouis nonnullis loquendi agendique symbolis, quae persecutionum vitandarum caussa occultabant, ab ethnicis atque Iudaeis, inter quos ipsis viuendum erat, dignosci voluerunt. Postquam, dissidia illa, quibus alii Paullum magistrum vnice amantes, ab aliis, palaestinensium doctorum auctoritatem Paullinae praeferentibus, diuidebantur, Romae composita, et ecclesiae catholicae praesidia traditionibus, quae ab Apostolis, Paullo et Petro in primis, acceptae putabantur, studiose aucta atque ornata fuerant: auctores symboli apostolici strictam publicae doctrinae formulam, quae societatis catholicae sodales a Gnosticis et Montanistis separaret, informare studuerunt. Deinde oriuntur nouae inter Arium et Alexandrum controuersiae. Nouam igitur Nicaena Synodus a. CCCXXV. sancit formulam (Symbolum Nicaenum) qua Catholici ab Arianis dignoscantur. Accedunt noua inter Nestorium, Eutychen, et Catholicos dissidia publica, et nouam docendi formulam Athanasii nomine insignitam, Catholicis incertus auctor praeit. Saeculo IX. seiunguntur ecclesiarum christianarum proceres Romanus et Constanti-

no-

nopolitanus. Romanus in ſuos exercet tyrannidem. Peſtifera barbaries in Europam irruit et clericorum improbitate et fraudibus adiuuatur. Sacrorum emendandorum neceſſitatem permulti intelligunt: nonnulli etiam manum admouent. Quos inter Lutherus vincit et partem Chriſtianorum non ſpernendam, a Romana liberat ſeruitute. Aſſeclae eius per Auguſtanam, quam dicunt, confeſſionem Romana praeſidia valere iubent, illamque aduerſus Pontificios, qui confutationem eius ediderunt, apologia ſtrenue defendunt. Euangelicis, ſpem concilii oecumenici faciunt et pontifex et imperator. Scribit igitur Lutherus, nomine publico, articulos illos Smalcaldicos, qui noſtram a Romanis ſeceſſionem tuerentur. Idem Lutherus Doctrinae melioris publicae exemplum praeit, edito catechismo et minore, et maiore. Luthero et Melanchthone mortuis proponitur concordiae formula, qua γνησίως Lutherani ab aliis et praecipue a Cryptocaluinianis et Flacianis ſeiungerentur.

§. III.

Nullus liber ſymbolicus aut principium doctrinae eſt, aut adaequatum omnium a Chriſtianis credendorum catalogum continet. Qui enim libros ſymbolicos, iuſſu principum, conſcripſerunt, ii maxime rerum illo tempore controuerſarum habuerunt rationem, dogmatumque veritatem ex libris diuinis, pro ſua interpretandi facultate iudicarunt.

Θεοπνευςιαν Hutterus aliam *Primariam* eſſe dicit aliam *ſecundariam* illam libris *biblicis* hanc *ſymbolicis* tribuit. Similiter et Rumpaeus Fidei nor-

mam

mam primariam immediatam normantem, libros *ſacros* eſſe ſtatuit; ſecundariam mediatam normatam, *ſymbolicos.* Theologi, qui Hutteri et Rumpaei veſtigia legunt, omnis generis errores, Hermeneuticos, hiſtoricos et in primis dogmaticos, a libris ſymbolicis, plane abeſſe contendunt. Alii tamen ſentiunt aliter. Sunt enim, qui Lutherum atque Melanchthonem, illum de incantationibus et vi diaboli de ratione venefica etc., hunc de Vulgario (Theophylacto, apud *Bulgaros* epiſcopo) et aſinis pontificiis, ſcribentem, defendere non audeant. Cf. ANT. FRID. BÜSCHINGS *allgemeine Anmerkungen über die ſymboliſchen Schriften.* Hamb. 1771. 8.

§. IV.

Qui publicum docendi munus, in terris noſtris, adeunt, doctrinam in libris ſymbolicis declaratam fideliter ſequi, eique contraria nec facere, nec docere, obſtringuntur. Quae inde exiſtit obligatio vel interna eſt, vel externa. Interna nititur, tum doctrinae veritate eiusque cum libris ſacris conuenientia, tum ſodalium neceſſario conſenſu in iis doctrinis, quae ſocietatis eorum propriae ſunt. Externa poſtulat principis vel magiſtratus auctoritatem. Quum enim principes euangelici ius ſacrorum publicorum habeant, iidem etiam, publicae doctrinae formulam, tempori et loco accommodatam, improbarum plebis fallendae artium et turbarum cauendarum cauſſa, po-

populi doctoribus imperare possunt.

1. Quum nulla docendi formula praescribi possit, quae omnium temporum ingeniis satisfaciat, propterea quod scientia in dies magis amplificatur: facile patet, cur nonnulli terrarum domini, partim e veteribus illis et communibus libris symbolicis aliquos exemerint, partim nouos quosdam et proprios adiunxerint.

2. Ad solos doctores publicos pertinet studium librorum symbolicorum, quorum auctoritas ibi valet, vbi quisque illorum sacro munere fungitur.

3. Nemo liberaliter eruditus obligatur, vt aut loca S. S. eodem modo exponat, quo in libris symbolicis factum est, aut res historicas in illis propositas defendat, vel omnes loquendi formulas duriores vel obscuriores fideliter repetat. Sufficit, ingenuum et liberale illorum librorum consilium quanta maxima fieri potest sedulitate sequi.

§. V.

Rituum, qui in obstringendis doctoribus obseruantur, ratio ab ipsis etiam terrarum dominis pendet. In Saxonia Electorali iusiurandum religionis officiale (Amts- und Religions-Eid) postulatur; alibi, vel sollemnis promissio quae fit data dextera, vel sola subscriptio, satis est. Promissio illa rursus vel strictior est, vel mollior. Strictior est, quae fit adhibita formula: *quia* libri sym-

ſymbolici, omni ex parte, cum SS. conueniunt; mollior, quae fit adhibita formula: *quatenus* cum illis conueniunt. Prior conſenſum et internum et externum, poſterior modo externum requirit.

1. Digna eſt, quae legatur, WAGNIZII commentatio IV. *über ſymboliſche Bücher, und die Gränzen ihrer Verpflichtung für den öffentl. Religions-Lehrer, in* c I. *homiletiſchen Abhandlungen und Kritiken.* Zwote Saml. Hal. 1786. 8. TITTMANNS *theolog. Moral* p. 161 ſq. Huc etiam ſpectat CAR. GODF. a WINCKLER *de iuramento religionis Diſſ.* Lipſ. 1783. 4, quam ſcriptor anonymus *über den Religions-Eid*, Berl. 1785. 8, multis argumentis aggreſſus eſt. Cf. MOSES MENDELSSOHNS *Ieruſalem oder über religiöſe Macht und Iudenthum.* Berlin 1783. 8. pag. 70 ſqq.

2. Iurisiurandi religioſi formula, quae in Electoratu Sax. edicto principis a. CIↃIↃCCXXXIII. d. V. Iunii propoſita eſt, ita ſe habet: Ihr ſollet geloben und ſchwören, daſs dem Durchlauchtigſten Fürſten und Herrn, N. N. Unſerm gnädigſten Herrn, ihr, vermöge eurer Vocation, getreu und gewärtig ſeyn wollet; bei der reinen Lehre und chriſtlichem Bekenntniſs dieſer Lande, wie dieſelbe in der erſten ungeänderten Augſp. Confeſſion begriffen und in den chriſtl. Concordienbuche repetirt, erklärt und wider alle Verfälſchung verwahrt iſt, beſtändig ohne einiges Falſch verbleiben und verharren, darwider nichts heimliches noch öffentliches practiciren: wo ihr auch vermerketet, daſs ſolches andre thun wollten, daſſelbe nicht verhalten, ſondern

dern, ohne Scheu, alsbald offenbaren; da auch Gott verhängen möchte (das er doch gnädig abwenden wolle!) daſs ihr euch ſelbſt durch Menſchen Witz und Wahn, von ſolcher reinen Lehre und Erkenntniſs Gottes entweder zu den Papiſten, Calviniſten, oder andern obermeldter reinen Confeſſion widrigen Secten, abwenden würdet, ſolches Ihrer Churfürſtl. Durchl. alsbald, vermöge eures geleiſteten Eides, ungeſcheut anmelden und Ihrer Ch. Durchl. fernere Verordnung und Reſolution gewarten wollet. Und ſolches alles getreulich und ohne Gefährde.

„Alles was mir N. N. anitzo mit unterſchiedenen Worten und Puncten vorgeleſen und vorgeſagt, von mir auch deutlich vernommen worden, das will ich ſtäts, feſt und unverbrüchlich auch getreulich, halten, als mir Gott helfe, durch Ieſum Chriſtum, ſeinen Sohn unſern Herrn."

DE III. SYMBOLICIS OECVMENICIS.

§. VI.

Symbola tria catholica, in vſum clericorum ſcripta, primi euangelicae doctrinae inſtauratores ideo ſeruarunt, vt ea re profiterentur ſe, chriſtianos catholicos eſſe, minimeque ſententiis illis aſſentiri, quas illa ſymbola improbarent. Ratio ſymbolorum III. oecumenicorum haec eſt: Apoſtolicum habet baptizandi formulae

mulae *) vberiorem expoſitionem: idque apud Latinos, catechumenis, breui ante quam ſacro lauacro imbuerentur, a clericis praelegebatur. Nicaenum eſt apoſtolici declaratio recitabaturque, ante coenae ſ. conſecrationem. Athanaſianum, quod Nicaeni magis declarandi cauſſa compoſitum eſt, quaſi quoddam examen ordinandorum erat. His tribus oecumenicis, quae omnium in ditione Romana eccleſiarum communia eſſent, annumerarunt alii Epheſinum a. CCCCXXXI conditum, alii Chalcedonenſe, erroribus Neſtorianis et Eutychianis a CCCCLI oppoſitum, alii conſtantinopolitanum a. CCCLXXXI ſcriptum. De particularibus, h. e. nationalibus prouincialibus, vrbicis et priuatis Hilarii, Baſilii, aliorum, ſymbolis, KINGIVM adeas, ZORNIVM et BVDDEVM. **)

1. Tria prima ſymbola GERH. IOH. VOSSIVS tribus diſſertationibus vt ſolebat, prope nimis verboſe, expoſuit. *Diſſertationes tres de tribus Symbolis, Apoſtolico, Athanaſiano et Conſtantinopolitano.* Ed. II. Amſt. 1662. 8. et quae ſilentio praetermittere religioni mihi duco, *Lineamenta praelectionum de tribus ſymbolis oecumenicis. Edidit D.* HENR PHIL CONR. HENKE. Helmſt. 1783. 8. IOH. RVDOLPH. KIESSLING *Hiſtoria de vſu Symbolorum.* Lipſ. 1753. 8.

2. Symbolum Chalcedonenſe, duas Chriſti naturas, ἀσυγχύτως, ἀδιατρέπτως, ἀδιαιρέ-

τως

τως et ἀδιαςάτως vnitas esse, statuit. Vid. EVAGRII Hist. Eccles. Lib. II. cap. IV. vbi decreta illius synodi exhibentur. — PETRI ZORNII *noua collectio plus quam sexaginta symbolorum s. confessionum fidei, quas in veteri ecclesia inde a primis seculis vsque ad duodecimum haeretici, vel viri alii patribus suspecti edidere*, inserta e i. *opusc. sacr.* Tom. I. Francf. et Lips. 1723. 8.

*) Matth. XXVIII 19.

**) *Isagoge historico theologica ad Theologiam vniuersam.* Ed. II. Lips. 1730. 4. pag. 418.

§. VII.

Symbolum illud, quod Ambrosio, Augustino, Leone M., Rufino, *) auctoribus, apostolici nomine insigniri solet, ab ipsis apostolis minime profectum esse Laurentius Valla primus demonstrauit. Argumentum autem eius apostolicum est, et ex formula baptizandi, quam vberius interpretando persequitur, repetitum. Illud igitur apud Latinos in baptizando adhibitum est: qui tamen summa diligentia cauerunt, ne copia eius fieret extraneis. Origines eius quod adtinet, obseruamus, illud tenuibus ex initiis natum, atque, vt error quisque increbuerat, qui reiiciendus videretur, ita paullatim auctum esse, et inde varia eius exempla, hic illic diuersa, ortum duxisse, quae Irenaeus, Tertullianus, Eusebius cae-

caesareensis, Cyrillus hierosolymitanus, Rufinus et constitutiones apostolicae, exhibent. **) Exemplum apud nos receptum Romanum est. Olim Latini pro XII Apostolorum numero totidem eius symboli articulos, postea, plures numerarunt, (e. gr. Antoninus Florentinus archiepiscopus, XIV) recentiores tantum III. Caeterum Calixto facile accedimus, qui omnia ad salutem hominis christiani necessaria dogmata, illo symbolo implicite saltem, comprehendi statuit.

PETRI KINGII *Historia symboli apostolici*, quae latine ex anglico a GODF. OLEARIO versa, Lips. 1704. 8. prodiit. *Historia symboli apostolici cum obss. eccles. et criticis.* Lips. 1770 8. IO. PEARSONII *Expositio symboli apostolici, iuxta editionem anglicanam quintam in linguam latinam translata* Francof. 1691. 4. Plerosque huius symboli expositores et vetustos et recentiores, recenset IO ALB. FABRICIVS Vol. XI. *Biblioth Graec.* et Parte II. *Cod. Apocryph. N.* 1. pag. 339.

(*) Cf. Pseudo — AVGVSTINI *Sermo* CXV. *de tempore.* LEONIS M. *epistola* XIII. *ad Pulcheriam.* RVFINI *explicatio symboli*, ab aliis Cypriani vel Hieronymi nomine insignita.

(**) Cf. IRENAEI Lib. I. cap. II. Lib. III. cap. IV TERTVLLIANI *de praescript. adu. haereticos* liber, pag. 168 (edit. B. Rhenani) *Pseudo* — ORIGENIS *Dial.* I. *contra Marcionitas.*

§. VIII.

§. VIII.

Quum publici doctores Alexander in primis atque Arius, initio quarti p. C. n. saeculi in explicando Apostolorum symbolo et describenda diuina Iesu Christi natura, vel maxime dissentirent: Constantinus imperator, imperii Romani episcoporum synodum, quae istam controuersiam, et alias quasdam dirimeret, Nicaeam a. CCCXXV, coegit. Nouam igitur doctrinae formulam, qua Christus patri ὁμοȣσιος statuitur, scribendo praeit Eusebius vel, vt alii volunt, Hosius et approbant episcopi. Hinc symbolum Nicaenum. Illud autem, quod in nostro librorum symbolicorum corpore, Nicaeni nomine venit, maiore veritatis specie, Nicaeno - Constantinopolitanum, appellari potest. Synodus enim illa, quam Theodosius Constantinopolin a. 381 conuocauit, vt Macedonii erroribus obuiam iretur, Nicaenum symbolum quibusdam de Spiritu S. eiusque personalitate particulis auxit et ornauit. Nicaenum baptizandis praelegunt Graeci. Constantinopolitanum autem episcopi Hispanici, synodo tertia Toletana, iubent in ecclesiis cantari, sed cum hoc additamento, *filioque*, id quod postea etiam Gallicani episcopi et, Saec. IX, Romanus, Martinus I. (al. Sergius III) receperunt, Graecis tamen aliter sentientibus.

*) Caus.

1. Caussam Arii et Arianorum, libro singulari nuper explicuit IO. AVG. STARKIVS: *Versuch einer Geschichte des Arianismus*, cuius Pars I. a. 1783. II. a. 1785, Berolini octonis prodiit.

2. Ad interpretationem symboli Nicaeno-Constantinopolitani facit et IO. CASP. SVICERI *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum expositum*, Trai. ad Rh. 1718 4, et GEORGII BVLLI *Defensio fidei Nicaenae de aeterna diuinitate filii Dei ex scriptis SS. Patrum, qui intra tria prima Eccles. Christ. saecula floruerunt*, quam cum aliis huius argumenti scriptis, IO. ERNEST. GRABE, auctam et emendatam recudi curauit in BVLLI *Operibus*, Lond. 1703. f.

§. IX.

Symboli Athanasiani, quis fuerit auctor, et quando sit compositum clericisque praescriptum, nihil constat. Ad tempora saltem Athanasii, cuius nomen gerit, pertinere non potest. Respicit enim ad Nestorium et Eutychen. Dicit Spiritum S. a patre *filioque* procedere. Exstitit latine prius quam graece; graecis eius VI. recensionibus mirum in modum discrepantibus. Saeculo demum VIII. primum recitatur inter Latinos et quidem Franco-Gallos. Paulinus, Aquileiensium Patriarcha, Theodulphus, apud Aurelianenses episcopus, et Hincmarus Rhemensis ecclesiae archiepiscopus, primi laudant symbolum *Athanasianum*. Quesnellius autem *Vigilium* Tapsensem, qui

qui Saec. V. Athanasii nomine saepius abusus est, Waterlandus *Hilarium* Arelatensem, Iosephus Antelmius *Vincentium* Lerinensem, alii alium illius symboli auctorem designarunt Quicunque ille fuerit facile obseruari licet, eum, quasdam sententias de trinitate et persona Iesu Christi, e decretis concilii Toletani, a. DLXXXIX habiti (*), descripsisse et auxisse, easque Athanasii nomine ornare voluisse. Nam illo adhuc tempore valebat mala illa consuetudo, vt nouas scriptiunculas, nominibus veterum impositis, ederent, ad maiorem illis conciliandam auctoritatem.

Cf. WILH. ABRAH. TELLERI *Antithesen und Erläuterungen zu* HARWOODS *vier Abhandlungen* (de symbolo *Athanasiano*) Berl. 1774. 8.

(*) Acta illius concilii exhibentur tum ab AGVIRRIO in *Concil. Hisp.* Tom. II. p. 338. tum HARDVINO in *Concil.* Tom. III. pag. 467.

DE CONFESSIONE AVGVSTANA ET EIVS APOLOGIA.

§. X.

Seuero pontificis Romani in Christianos occidentales imperio iam inde a Saec. XII. per vniuersam fere Europam obstiterunt, Albi-

Albigenſes, Waldenſes, fratres liberi ſpiritus, myſtici, amatores aeterni euangelii, Wiclefus, et praecipue Huſſus. Pleraque monachorum et ſcholaſticorum ludibria, Laurentius Valla, Nicolaus de Lyra, Iacobus Faber et maxime Deſid. Eraſmus, literis humanioribus et S. S. ſtudiis promouendis non infeliciter exagitarunt. Sunt etiam aduerſus impudentes papae eiusque quaeſtuariorum exactiones, decreta facta in ſynodis Germanicis. Itaque Tezelii et Samſonis molimina facile diſplicebant principibus nonnullis, in primisque Saxoniae Electori. Plauſu igitur aequalium, Martinus Lutherus, LXXXXV theſes, de poenitentia et indulgentiis, publica diſputatione ventilandas, Vitebergae, pridie Kal. Nov. a. cIↃIↃXVII proponit, damnatusque tribus pontificiis diplomatibus quorum primum die XV Iunii a. XX, alterum Ianuarii die IV a. XXI, promulgatum erat; tertium quod contra haereticos quotannis die viridium, publice Roma recitari ſolet, nominatim Lutherum cum aliis haereticis primum damnauit a. XXI et in comitiis Wormaciae habitis, proſcriptus ab imperatore ſed Friderici Saxonis iuſſu a Berlepſchio Wartburgum ductus, nouam librorum N. T. verſionem facit, qua vel maxime adiuuit aequalium ſtudia. Iam plerique equites imperii, et Eliſabeta,

ta, abbatiſſa Gernrodenſis, nec non anno XXV quoniam publica ſedis apoſtolicae grauamina ſublata non ſunt, quorum C. capita legato pontificio Norimbergae a. XXII. ab imperii ordinibus tradita erant, Ioannes, Saxoniae princeps Elector, Wolfgangus, princeps Anhaltinus, Erneſtus, dux Brunſuico-Cellenſis et Philippus Haſſiae Landgrafius, publice profitentur, ſe cum Luthero ſentire. Alii breui poſt accedunt. Lutherani illi principes, vt moliminibus Catholicorum obuiam irent, foedus pangunt Torgauiae a. XXVI, Iunii die XII, et annis tribus poſt, a. XXIX, d. XIX April. manifeſto refragantur decreto Spirenſi, quod antequam a concilio generali ſententia lata eſſet, vetabat fieri vllam publicae religionis mutationem. Quibus de rebus certior factus Carolus imperator, conuentum principum et ſtatuum Germanici imperii, Auguſtae Vindelicorum a. XXX habendum indicit: quodſi papa concilium negaret, ſe ipſum pollicetur lites de religionis cauſſa cogniturum, iubens vtrosque et Catholicos et Lutheranos ſuam de religione ſententiam, ſcripto conſignatam offerre. Cui voluntati vt morem gereret Ioannes Saxo in conuentu principum Iunii die XXV habito, cui Caeſar praeſidebat, apologiae, quam poſtea *confeſſionem* dixerunt, germa-

manicum exemplum, a Baiero, cancellario ſuo, praelegendum, et, abſoluta eius lectione, vtrumque exemplum, et germanicum et latinum Caeſari a Pontano, offerendum curat. *Helueticam* autem Zuinglii (al. Oecolampadii) profeſſionem non admiſit imperator. Ciuium vero Argentinenſium, Conſtantienſium, Memmingenſium et Lindauienſium doctrinae formulam (*tetrapolitanae* nomine inſignitam) a Bucero atque Capitone exaratam Caeſarique, menſe Iulio medio, exhibitam Faber et Eccius refutare iuſſi, ſcriptum valde prolixum et valde acerbum in ea maxime parte, vbi illorum ſententiam de coena ſacra prope nimis ad Zuinglianam accedentem tractant, compoſuerunt. Quae ſcripti tetrapolitani confutatio, die XXIV Oct., legatis IV. ciuitatum, vt ei accederent, propoſita eſt.

IOANNIS SLEIDANI *de ſtatu religionis et reipublicae, Carolo quinto Caeſare, commentarii* (Argent. 1555. fol.) *Editio noua . . . adornata multisque annotationibus illuſtrata a Chriſtiano Carolo am Ende.* Francof. ad M. 1785. II. 8. Lib. VII. *Reformations-Geſchichte in einem verbeſſerten Auszug des* CHR. FRID. IVNIVS *aus des* VEIT LVDW. V. SECKENDORF *Hiſt. Luth.* (Francof. et Lipſ. 1691. fol.) *herausgegeben von M.* IO. FR. ROOS. Tüb. 1781. 82. II. 8. De VARILLASII, SCVLTETI, HARDTII, LOESCHERI, COELESTINI, SALIGII, CYPRIANI, MÜLLERI, GERDESII, aliorumque libris vide NOESSELTVM l. c.

l. c. §. 501. seq. Quibus addi debent vitae Lutheri atque Melanchthonis. *Vita Mart. Lutheri* . . . *exposita a* PHIL. MELANCHTHONE . . . *annotationes subtexuit* CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS. Gott. 1741. 4. IOACHIMI CAMERARII *de vita Phil. Melanchthonis narratio* . . . *notas*, *documenta*, *aliaque addidit* GEORG. THEODOR. STROBELIVS. Hal. 1777. 8.

z) *Bekandtnuß der vier frey vn Reichstaett Straßburg*, *Costanz*, *Memmingen vnd Lindaw zu Augsp. im XXX Jahr gehalten. Straßburg MDXXXI.* 4. Tetrapolitanam istam COELESTINVS quoque exhibet *Hist. commitiorum August.* Tom. IV. fol. 94 — *Bekanntnuß deſz waaren Gloubens vnnd einfalte erlüterung der rüchten algemeinen Leer vn Houptartiklen der reinen christl. Religion etc. Getruckt zu Zürych* M. D. LXVI. 4.

§. XI.

Philippo Melanchthoni, cuius insignem eruditionem placidumque animum ipsi aduersarii suspiciebant, confessionis exarandae negotium, ab iis principibus et magistratibus, demandatum est, qui negotium id suum proprium esse et suo periculo geri voluerunt. Diuersorum igitur Theologorum scripta legit et cognoscit Melanchthon; articulos autem XVII Torgauienses, a Luthero scriptos (a quibus marpurgenses et suabacenses argumento nihil differunt) fundamenti loco ponit, auget, emendat, articulos abu-

abusuum addit, absolutumque scriptum Luthero arbitrandum mittit: Qui quum Melanchthonis operam omnino probasset, mutatis adhuc nonnullis adscriptisque euangelicorum dominorum nominibus, Caesari exhibetur confessio.

1) Nullum confessionis exemplum, quod hodie prostat, siue manu scriptum sit, siue typis vulgatum cum illis exemplis prorsus consentit, quae Caesari exhibita sunt. Illa enim exempla manuscripta, quae in nonnullis tabulariis asseruantur, e primis Philippi lineamentis cum dominis euangelicis decimo ante solennem recitationem die communicatis, deriuata sunt. — Confessio enim ad octauum vsque Iunii diem *apologia principis electoris Saxoniae* erat, postea demum sociorum nomine descripta. Scriptio autem ipsius Spalatini, quae in tabulario Vinariensi asseruatur reliquos: etiam euangelicos principes tuetur. Exemplum vero germanicum, quod in tabulario Moguntino asseruatur, a manco confessionis exemplo minus diligenter descriptum, nec non a COELESTINO, impostore insigni, in corpore brandenburgico exhibitum et inde in libro Concordiae repetitum est. Sed, age, primarias confessionis editiones, quam diligentissime poterimus, recenseamus, Anno cIↃIↃXXX., s. l., prodiere VI. editiones *germanicae*, quibus copiosior est princeps PHILIPPI editio *germanico-latina*, quae a. XXXI. Vitebergae, charta quadruplicata, prodiit, ita inscripta: *Confessio fidei exhibita inuictiss. Imp. Carolo V. Caesari Aug. in comiciis Augustae A.MDXXX. Addita est Apologia Confessionis.* Plenior et dilucidior est editio germanica, a. XXXIII 8. saepius

ſaepius deinceps repetita, in corpus Miſnicum recepta, et, a. LV., iuſſu Sax. principis electoris, viſitationum eccleſicaſticarum cauſſa typis iterum exſcripta. Ad *latinas* editiones, quod attinet, ab editione principe, multis modis differunt, illae quae a CIↃ IↃXXXI. 8 XL. 4. et XLII. 8. cura MELANCHTHONIS, prodierunt. COELESTINVS, FABRICII *Leodii* editionem cum eiusdem mendis typographicis, repetiit Primae nomina ſua adſcripſerant principes euangelici, qui a. LXI. Numburgi conuenerant. Secunda *κατ᾽ ἐξοχην variata* dicitur. Poſt concordiam enim Vitebergenſem a XXXVI. initam Melanchthon illam articuli decimi particulam, quae Heluetios tangebat (*et improbant ſecus docentes*) in priuatis editionibus non amplius repetendum ſed e contrario aduerſus transſubſtantiationem catholicorum multo clarius loquendum eſſe cenſuit, adhita formula: *quod cum pane et vino vere exhibeantur corpus et ſanguis Chriſti* Minoris momenti ſunt varietates articc. III. IV. V. et XVIII. Obſeruent tamen lectores, editiones germanicas in vniuerſum latinis, poſteriores germanicas prioribus, a Melanchthone euulgatis, longe copioſiores eſſe. Quum enim A. C. ederetur frequentius, Melanchthon omni ſtudio in id incubuit, vt quanta poſſet animi integritate ac religione confeſſionem recenſeret, ambigua explicaret confuſa diſponeret et mirabilia quaedam ad communem intelligentiam proprietate expoſitionis ſim[illegible] ac dilucidae reuocaret. Multa enim dies monebat et poſterioribus illius cogitationibus priores fiebant meliores. Nihil tamen aliter factum, Camerario Webero Vinarienſi Strobelio auctoribus neque vllum mutatum dogma, neque momenta rerum conuerſa ſunt. Nec fidem illam diploma-

ticam, quae in ſcriptis publicis verbotenus exhibendis ſpectatur praecipue, principes a Philippo dum in viuis eſſet, poſtularunt, nec ipſe, confeſſionem illam Caeſari exhibitam, ſe in editionibus recentioribus, a verbo ad verbum, repetiiſſe vnquam affirmauit. Nec Lutherus aliquid monuit de variatis editionibus. Fabulas recentiores non curamus. Editiones, quae variatae dicuntur, ipſi principes approbarunt, in corpora doctrinae recipiendas curarunt nec non clariorem, aduerſus Romanos, deſcriptionem, in conuentu Numburgenſi, admiſerunt. Varietates editionum primus taxauit Eccius in colloquio Wormatienſi a. cIↃIↃXLI habito. Cui Luthero mortuo acceſſit MATTHIAS FLACIVS, cum diſcipulis ſuis et amicis, qui tum confeſſionem theologorum Plauenſium, a. LXVII. oppoſuerunt, tum corpus illud in colloquio Altenburgenſi a. XX Oct. a. LXVIII. ad IX Mart. anni ſequentis habito, aeriter aggreſſi ſunt. Quibus IAC. ANDREAE, homo inſolens et gloriae vanae cupidus, aliique γνησιως Lutherani calculum adiecere.

2. Articulos ſuabacenſes tum ipſe LVTHERVS edidit, *Die Bekentnüß Martini Luthers auf den ieztigen angeſtellten Reichstag zu Augspurk einzulegen in 17 artikel verfaßt im J. XXX. ged. zu Coburgk* tum e tabulario Vlmenſi vna cum receſſu Suabacenſi typis exſcribi curauit WEBERVS vir huius antiquitatis Valde gnarus, Tomo I. libri iam laudandi. *Kritiſche Geſchichte der Augsburgiſchen Confeſſion aus archivaliſchen Nachrichten, nebſt einigen Zeichnungen von* GEORG GOTTLIEB WEBER. Francof. ad M. 1783. I. 1785. II. 8 mai. De quo et aliis eius ſcriptis, inſigni diligentia exaratis, libellisque aduerſariorum ſuorum

PAN-

PANZERI, BROCKMANNI, GOEZII et BERTRAMI omnino conferenda eſt hiſtorico-critica GERKENII relatio, *Bibliothecae germ. vniv. Vol.* LX. *P.* I. inſerta.

3. Quum Aug. Confeſſionem noſtri doctores publici ſequantur: mirari haud poſſumus, ingentem eius interpretum et expoſitorum, inde a condita concordiae formula ad noſtram vsque aetatem ſuccreuiſſe numerum. Quorum tamen plerique, ex ſententia SEMLERI, viri ſi quis alius doctiſſimi multisque nuper argumentis animo meo cariſſimi, omni fere ad nos fructu carent, temporis illi ingenio relinquendi, quibus operae pretium non eſt nos vel legendi ſtudium impendere. HVTTERO, HANNEKENIO, CALOVIO, GERHARDO, multis aliis, praeſtat et CARPZOVII *iſagoge* ſupra laudata et FEVERLINI diſſertationum collectio, ita inſcripta: IAC. WILH. FEVELRINI *obſeruationes variae in Auguſtanae Confeſſionis ſingulos articulos.* Gott.

4. Liberalis Aug. Confeſſionis interpretatio non nihil adiuuatur legendo PH. MELANCHTHONIS *Vnterſchied der evangeliſchen und papiſtiſchen Lehre, deutſch u. lateiniſch, mit einer hiſtoriſchen Einleitung herausgegeben von G. Th.* STROBEL. *Nürnb.* 1783. 8.

§. XII.

Illa igitur profeſſione (vulgo *confeſſione* dicta) et quidem articulis XXI. doctrinalibus et VII. abuſuum, optima fide, declarant noſtri, quid de religione et ſacris publicis ſentiant. in quibus ſententiis et ritibus a Catholicis diſcedant,

 quid

quid improbent, quid ſeruent, tueantur, et defendant, quid publice doceant. Exponit igitur confeſſio ſententiam noſtrorum I. de Deo et trinitate: II. depeccato originali: III. de Chriſto: IV. de iuſtificatione: V. de miniſterio eccleſiaſtico: VI. de fide: VII. de eccleſia: VIII. de ſacramentorum adminiſtratione ſ. de malis admixtis eccleſiae: IX. de baptiſmo: X. de ſacra coena: XI. de confeſſione et abſolutione: XII. de poenitentia: XIII. de vſu ſacramentorum; XIV. de ordine eccleſiaſtico: XV. de ritibus eccleſiaſticis: XVI. de ordine politico S de rebus ciuilibus: XVII de Chriſti reditu ad iudicium: XVIII. de libero arbitrio: XIX. de cauſa peccati; XX. de fide et bonis operibus et XXI de cultu Sanctorum. Iam ſequuntur VII abuſuum articuli, quippe qui partim art. XXII. noſtram de vtraque ſpecie ſententiam declarant partim XXIII. de coniugio ſacerdotum; XXIV. de miſſa; XXV. de confeſſione; XXVI. de diſcrimine ciborum; XXVII. de votis monaſticis et XXVIII. de poteſtate eccleſiaſtica, quae ſentiunt et docent noſtri, breui comprehendunt.

§. XIII.

Profeſſionem Euangelicorum, Caeſar menſe Iulio, tradidit, principibus catho-

tholicis, vt eam cognoſcerent; hi deinde, ad refutandum, theologis ſuis, quos inter facile erant primi Faber et Eccius. Quorum confutationem verboſam, germanice ſcriptam, vbi principes catholici recitari audiſſent nimis acrem eſſe nonnulli iudicarunt. Sed plerique Caeſari rem omnem committendam eſſe ſtatuerunt. Re cum legato pontificio deliberata Caeſar decreuit vt euangelicis reſponderetur idque reſponſum Kalendis Aug. cum principibus catholicis communicat. Exitus erat vehemens: proponebatur enim poena proſcriptionis aduerſus illos, qui non parerent, ſed de principum conſilio id mutatum eſt. Itaque Auguſti die tertia, conuocatis omnibus ordinibus, confutatio confeſſionis, a theologis aduerſariis ſcripta, recitata eſt finitaque recitatione noſtri iuſſi ſunt huic expoſitioni, prorſus accedere. Ad ea Saxoniae princeps elector, et ſuo et ſociorum nomine copioſiorem confeſſionis ſuae explicationem ſe oblaturum eſſe oſtendit atque confutationis exemplum a Caeſare petit. Caeſar, cum diu deliberaſſet, Biduo poſt, ait, daturum ſe quidem, verum ea lege, ne quid eius typis euulgent. Illi autem, ſe hac lege, librum recipere non poſſe demonſtrant. Itaque ſatis opportune acciderat, quod Cruciger, et alii e noſtris, potiora confutationis

nis capita, quum recitaretur, literarum compendiis vſi, exceperant. Confutationi igitur Melanchthon *apologiam confeſſionis* latine ſcriptam, oppoſuit, partim explicans quaedam copioſius, partim aduerſarios pertinaciter inſolentes vehementer vrgens. Quam apologiam die XXII. Sept. Imperatori obtulit Pontanus: ille vero, diſſuaſu Ferdinandi, accipere noluit. Paullo poſt Melanchthon, integrum confutationis exemplum nactus eam longe copioſius refutauit, Apologiam germanice vertit Iuſtus Ionas, qui nonnulla, auctore non inſcio, mutauit, licet in rebus ipſis tantum diſcrimen quantum nonnulli arbitrari ſolent non intercedat. Aliam translationem, hic illic breuiorem, corpus doctrinae Miſnicum, exhibet.

Confutationem latine edidit FABRICIVS in *Harmonia confeſſionis Auguſtanae.* 1573. Germanice prodierat a. 1572. — Primam Apologiae delineationem exhibet CHYTRAEI *Hiſtoria Aug. Conf.* Francof. ad M. 1578. 4. p. 335 ſeqq. Ipſam vero apologiam Melanchthon edidit Viteb. 1531. 4. et 8. (cf. §. XI annot. 1). Textum editionis, quaternis impreſſae, liber concordiae repetiit.

§. XIV.

Quum theologi catholici ſententias Euangelicorum de peccato originali; de iu-

iustificatione, (IV. V. VI. et XX. articulis confess. collatis) de dilectione et impletione legis; de ecclesia; de confessione; de poenitentia; de numero et vsu sacramentorum; de ordine ecclesiastico; de traditionibus humanis in ecclesia; de bonis operibus; de inuocatione Sanctorum et alios omnes de abusibus ecclesiasticis confutare studuissent alios approbassent vel saltem leuiter notassent Melanchthon priores illas hac apologia strenue ac prolixe defendit, has posteriores copiosius persequitur, quam in Augustana Confessione factum erat.

DE ARTICVLIS SMALCALDICIS.

§. XV.

Quum Paulus III. P. M., Caesaris precibus coactus, diplomate, Iunii die II. a. cIↄIↄxxxvi edito, concilium Mantuae, mense Maio anni sequentis, inchoandum indixisset, idque, tum a Caesare tum a Pontifice, principibus euangelicis qui Smalcaldiae conuenerant, significatum esset: hi se concilium istud improbare scripto publico demonstrarunt. Postulant, vt concilium in Germania habeatur et demonstrant, iudicandi potestatem non esse episcoporum multo minus solius

pon-

pontificis, qui hac in cauſſa pars litigans eſſet verum vniuerſae eccleſiae ad quam reges etiam et ſtatuum ordines pertinerent Ioannes tamen Fridericus, ſuo et ſociorum nomine, Martinum Lutherum iubet ſcripto exponere, quae capita doctrinae ſi forte res ad ſynodi cognitionem deduceretur, firmiter retinenda et defendenda eſſent; item, ſi aequitatis ratio in concilio haberetur quid, pacis communis cauſſa, Pontifici Romano et reliquis epiſcopis, ſalua conſcientia. concedi poſſe videretur. LVTHERVS igitur articulos nonnullos, ſub ipſum finem anni cIↃ IↃ XXXVI Vitebergae lingua vernacula ſcribit et anno proximo in conuentum Smalcaldicum affert, vt ab euangelicis principibus et doctoribus perlegerentur et approbati reciperentur Prima pars articulorum continet ea dogmata, quae extra controuerſiam erant. Secunda, quae in controuerſiam a pontificiis erant adducta. Tertia, de quibus eruditi diligentius agere poſſent.. Iam ſequuntur multorum doctorum atque miniſtrorum ſacrorum ſubſcriptiones; tum, appendix de poteſtate et primatu Papae nec non de iurisdictione epiſcoporum, a PHILIPPO MELANCHTHONE anno cIↃ IↃ XXXVII ſcripta; denique, ſubſcriptiones aliae, quibus Theologi, Smalcaldiam coacti, tum Auguſtanam Confeſſio-

ſionem, eiusque Apologiam, tum iſtam de pontifice et epiſcopis appendicem, vel maxime probant.

1. De Smalcaldico conuentu et foedere legant theologiae ſtudioſi SLEIDANVM, Libr. XI et XII. et CAMERARII vitam Melanchthonis pag. 468 et 69.

2. Articulos illos Smalcaldicos, ſed omiſſa appendice, eadem qua ſcripti erant lingua Lutherus primus praefatione adiecta edidit Vitebergae a. 1538. (*Artikel, ſo da hetten ſollen aufs Concilion zu Mantua oder, wo es würde ſeyn überantwortet werden, von unſers Theils wegen etc. D. M. Luther*) PETRVS autem GENERANVS hos articulos latine vertit minus tamen diligenter. Nihilominus iſta verſio cum praefatione VITI AMERBACHII, Vitebergae a. 1541. 8. edita, in librum concordiae recepta eſt. — IOACH. CHRPH. BERTRAMS *Geſchichte des ſymboliſchen Anhangs der ſchmalk. Artikel von* IOH. BARTH. RIEDERER. Altdorf. 1770. 8.

DE VTROQVE CATECHISMO.

§. XVI.

Aetate Caroli M. imperitia clericorum poſcebat vt ipſis formulae rituum praeſcriberentur, baptiſterium, poenitentiale et ſacramentarium; populi autem inſcitia et ruditas, vt in publica eius inſtitutione ſymbolis adderentur decalogus,

gus, leges mosaicae matrimoniales et eae, quae sunt de decimis, primitiis et benedictionibus frugum. Nec defuerunt episcoporum iussa, vt oratio dominica, articuli de VII peccatis capitalibus et canones poenitentiales, plebi lingua vulgari praelegerent publici religionis ministri. Quae catechismi capita primaria legi possunt in catechesi theodisca monachi cuiusdam Weissenburgensis, et alibi. Itaque facile intelligimus, Lutherum nostrum, vix aliam doctrinae catecheticae formulam praeire potuisse. Postquam igitur, inde ab anno cIↃIↃXVIII singularia catecheseos capita, scriptis illustrasset, et ecclesias scholasque Saxonicas iussu principis a. XXVII visitasset, in vsum parochorum imperitorum enchiridion edidit a. XXIX, mense Ianuario maius, mense Octobri minus. Vt enim Semlerus ostendit, falluntur ii omnes, qui maius enchiridion tempore posterius; minus autem tempore prius editum credunt. Duas catechismi interpretationes latinas habemus, alteram Opsopoei, mense Iulio, alteram Loniceri, mense Maio, eiusdem anni, editam. Haec in librum concordiae recepta est. *Minor* catechismus praeter praefationem continet decalogum, symbolum apostolicum, orationem dominicam, capita de baptismo et sacra coena: quibus capitibus accesserunt, in editionibus

bus recentioribus, primo particula de poenitentia et confessione (quam particulam ex Brentii libello haustam KNIPSTROVIVS perfecit) deinde D. LANGII *Erfurtensis* quaestiones catecheticae (*Fragstücke*). Sed haec additamenta in nostro librorum symbolicorum corpore non leguntur. Germanicis catechismi editionibus addi solet, primo, appendix duplex in vsum familiarum domesticarum concinnata, collectio scilicet tum precum tum biblicorum de officiis dictorum (*Haustafel*): deinde libilli de copulandis coniugibus et baptizandis infantibus, a LVTHERO scripti. *Maior* catechismus vberius explicat decalogum, symbolum, orationem dominicam, et particulam de baptismo et sacramento altaris. BRENTII autem MELANCHTHONIS, et aliorum, catechismi tantam auctoritatem consecuti non sunt, quam Lutheri vterque. Ob catechismum Vitebergensem, quem ex corpore doctrinae Philippico potissimum concinnauerat CHR. PEZELIVS, multas excitarunt turbas Flaciani et γνησιως Lutherani.¹ E recentioribus plausum aequalium tulerunt DIETERICI institutiones catecheticae, quibus tamen plurimum praestat, et lubecensis et palatina catechesis.

1) Qui

1. Qui rei cathecheticae ortus ac progressus penitus cognoscere cupiunt, legant HYPERII *Tr. de catechesi*, variis eius opusculis theologicis (Basil. 1570. 8) insertum, nec non BVDDEI praefationum *de origine et auctoritate cathechismorum* praemissam annotationibus vberioribus in DIETERICI institutiones a BECHMANNO scriptis. — MICH. IGN. SCHMIDT *Incerti Monachi Weissenburgensis catechesis theodisca Seculo IX. conscripta, edita a* IO. G. ECCARDO. Hanov. 1713. 8.

2. *Deudsch Catechismus gemehrt mit einem newen Unterricht zu der Beicht, durch D.* MARTIN LVTHERN 1529. 8. — *Cathechesis, continens explicationem simplicem et breuem Decalogi, Symboli apostolici, orationis dominicae, doctrinae de poenitentia et de sacramentis, contextam ex corpore doctrinae christianae, quod amplectuntur et tuentur ecclesiae regionum Saxonicarum et Misnicarum, quae sunt subiectae ditioni Electoris Sax.* etc. *Edita in Acad. Vitemb. et accommodata ad vsum scholarum puerilium.* Vit. 1571. 8. Eadem germanice, eodem anno charta octuplicata, prodiit ita inscripta: *Kurtze und nöthige Fragen und Antwort* etc. cui Theologi Ienenses, WIGANDVS, HESHVSIVS, COELESTINVS, KIRCHNERVS, opposuerunt: *Warnung vor dem unreinen Sacramentirischen Catechismo etlicher zu Wittenberg, durch die Theologen zu Iena.* 1571. 4. Alia alii, quos inter facile erant primi CHEMNITIVS et SELNECCERVS. Vitebergenses et Lipsienses theologi, eodem anno, respondent, libello, ita inscripto: *Endlicher Bericht . . . belangend die Lehre, so sie von Anfang der augspurg. Conf. bis auf diese Zeit . . . beständig geführt haben, mit angehängter christlicher Erinnerung und Warnung, von den streitigen Artickeln, so*

Fla-

Flacius Illyricus mit seinem Anhang nun lange Zeit her muthwillig erregt etc. — *Catechismus Lutheri . . . erklärt vom Lübeckschen Ministerio* (interprete CRAMERO, nunc Cancellario Kiion.) Lubec 1774. 8. *Erklärung des kleinen Catechismus D. M. Luthers .. auf Verordnung des Churpfälz. Consistorii* etc. Frankenthal 1777. 8.

DE FORMVLA CONCORDIAE.

§. XVII.

Ortis illis, inter Osiandrum et Stancarum de iustificationis ratione, inter Maiorem et Amsdorfium de bonorum operum necessitate, inter Melanchthonem et Amsdorfium quo cum Flacius eiusque Socii coniuncti erant de adiaphoris liturgicis, inter Flacium et Strigelium de liberi arbitrii cooperatione in conuersionis negotio nec non de peccato originali et Melanchthone, a. cIɔ Iɔ LX mortuo, inter Philippistas (Cryptocaluinianos) et γνησιως Lutheranos tum de aliis, tum praecipue de vbiquitate carnis Christi, publicis dissidiis: colloquium Altenburgi a. die XX Oct a. LXVIII ad IX Martii a. LXIX instituunt theologi Misnenses et Thuringenses. Ienenses autem inuidia Vitebergensium praecipue ducti, a. LXIX edunt consilium, quomodo nouum doctrinae corpus perpetuum, conficiendum

dum et omnes omnino inter Lutheranos ortae controuersiae ex illo componendae essent. Cui consilio IACOBVS ANDREAE addit formulam conciliationis (postea: consensionis; postremo: concordiae). CHEMNITIVS atque CHYTRAEVS Theologorum Saxoniae inferioris nomine, opponunt a. LXXI, Sacramentariis nouam confessionem, iidemque vna cum IACOBO ANDREAE a. LXXIV Misnensibus, formulam concordiae sueuicas inter et Saxonicas ecclesias, initae. Augustus igitur, Saxoniae princeps elector, continuis exterarum querelis et minis motus, conuentum theologorum, Torgauiae eodem anno instituit, nouasque quasdam doctrinae formulas, quarum ope controuersiae dirimerentur, ab iis conscribi iubet conscriptasque ecclesiis exteris cognoscendas, mittit. Quibus quum illae formulae non omnino probarentur, quumque theologi Virtembergenses, OSIANDER et BIEDEMBACHIVS, a. LXXVI mense Ianuario formulam Maulbronnensem condidissent, eamque alii in conuentu Lichtenbergensi mense Februario habito perstrinxissent: nouum theologorum γνησίως Lutheranorum conuentum Torgauiae mense Iunio idem Augustus suasu Andreae, instituit, ac librum Torgensem (*Torgisch Buch*, s. *Torgisch Bedenken*) e formula vtraque, Sueuica et Maulbronnensi,

nensi, (seruatis ipsis earum verbis, omissis tamen honorificis de Melanchthone iudiciis) confici iubet. Mittitur liber ad exteras ecclesias, eo consilio, vt eum ipsarum doctores aut probarent, aut, si quid iis emendandum visum esset, scripto significarent. Exterorum admonitiones et censurae exhibentur theologis nonnullis, primum tribus, deinde sex, vt quantum possent huic negotio ex omni parti satisfacerent. IACOBVS igitur ANDREAE, MART. CHEMNITIVS et NIC. SELNECCERVS, cum ANDREA MVSCVLO, CHRISTOPH. CORNERO et DAV. CHYTRAEO, nouam Concordiae formulam a. LXXVII in monasterio Bergensi conscribunt. Longosalissae autem a. LXXVIII mense Martio, et anno sequenti Interboci ac Torgauiae, illic mense Ianuario, hic Februario, de praefatione subscriptionis formula et editionis ratione deliberant. Bergensi formulae a Saxoniae ordinibus publica auctoritas tribuitur Torgauiae a. LXXIX. Anno autem sequenti, Augustus, librum concordiae, nomine suo edi iubet. At Anhaltinae, Austriacae, Badenses, Borussicae, (Brandenburgenses, Saec. XVII) Brunsvicenses, Danicae, Hassiacae, Holsaticae, Luneburgenses, (Magdeburgenses) Megapolitanae, Norimbergenses, Palatinae, Pomeranicae, Silesiacae et Sue-

Suecicae ecclesiae illam concordiae formulam reiiciunt.

1. Primas formulae Bergensis lineas FLACIVS duxit in *confutatione corruptelarum* a. 1559. germanice edita et deinde corpori Thuringico inserta. Postea edidit IACOBVS ANDREAE hoc scriptum: *Bericht von der Einigkeit und Uneinigkeit der christl augsp. Confessionsverwandten Theologen.* Tüwing. 1560. 4. Confessionem Mansfeldensem et Austriacam vtramque a 1565 editam, excepit Theologorum Ienensium *Bedenken und Erinnerung auf einen Vorschlag einer Conciliation in den streitigen Religionssachen.* 1569 4, Nouam tum catechesin ordo Theologorum Vitebergensis iussu Electoris a. 1571 edidit, (§ XVI); ei opposuerunt alii scripta acerba ad quae Vitebergenses responderunt. Sequitur deinde *Beständige Wiederholung und gründliche Erklärung der Wirtembergischen Kirchen von der Person und den beyden Naturen Christi*, auctore IACOBO ANDREAE, Tubing. 1572. 4. Plurima huc spectantia scripta continet *corpus confessionum anti — crypto caluinianarum.* Ienae 1572. 4. Formulam concordiae Sueuicas inter et Saxonicas ecclesias, e codice MSto Stutgardiano, minus diligenter inprimendam curauit PFAFFIVS in *libro commentario de actis et scriptis publicis ecclesiae Wirtembergicae.* Tub. 1718. 4. Pag. 381 sqq. Philippistis autem fauebat *consensus Dresdensis* editore MELISSANDRO, Viteb. 1572. 4. Prodit igitur *Einhellige Bekenntniß vieler Theologen und Kirchen* (Brunsvic. Halens. Ienens. Luneburg. Mansfeld.) *Augsp. Conf. von dem neuen Catechismo der neuen Wittenberger, von ihrer neuen Grundueste* (Stereoma) *und neuen Bekentniß zu Dreßden.* Ienae 1574.

4.

4. Iam sequuntur priores articuli Torgenses, quas HVTTERVS in *Concordia concorde* cap V. pag. 184 seq exhibet, et posteriores, scil. *Torgisch Bedenken, welchergestalt oder massen vermöge Gottes Worts, die eingerissene Spaltunge zwischen den Theologen Augsp. Conf. christlich verglichen und beigelegt werden möchte* (in IOH SAL SEMLERS *Abdruck des Torgischen Buchs aus einer gleichzeitigen handschriftlichen Urkunde*, Hal. 1760, 8) Formulae Bergensi opponunt Anhaltini *Bekenntnis der anhaltischen Theologen*, 1589 4; Flaciani, auctore IRENAEO, *Allenthalbische neue Zeitung von der bergischen Väter Wundergeburt und neu angestelter Concordien . . . zum Theil in teutscher, zum Theil in lateinischer Sprach, vbique und überal von den Protestirenden zusammengebracht und anietzt von neuem in offenen Druck verfertiget*. 1581 4; alii, *Erzelung etlicher abscheulichen Reden der Concordienformel*, sine die et consule. KIRCHNERVS igitur, SELNECCERVS atque CHEMNITIVS *Apologiam formulae concordiae* scribunt, cuius prima pars contra admonitionem Neostadiensem et iudicium Anhaltinorum, secunda, contra Bremenses, tertia, contra Christoph. Irenaeum vergit, quarta historiam A. C. vsque ad a. 1561, exponit. Ista apologia germanice primum edita est a. 1583, postea etiam latine versa a PHIL. MARBACHIO et GEORG. GOTTFRIDO.

2. Conferatur omnino D. IAC. HEINR. BALTHASARS *Historie des torgischen Buchs*. Greifsw. u. Leipz. 1741-44. VI. 4, et *Geschichte der Concordienformel der Evang. Luth. Kirche von* IOH. NIC. ANTON. Lips. 1779. II. 8.

3. Multa historiae Cryptocaluinianorum anecdota colligi possunt e CASP. PEVCERI historia carcerum et liberationis diuinae, Tiguri 1605. 8; alia non spernenda ad eorundem fata tristia nec non ad historiam formulae concordiae et Iacobi Andreae praecipue, suppeditat libellus CHR. THOMASII: *Ein kleiner Versuch von Annalibus von Anno 1409 biß 1629. Eine etwas genauere Einsicht in die Historie von Ursprung und Fortgang der Universitäten in Teutschland, sonderlich der Universität Leipzig und Wittenberg, und der in denenselben entstandenen Zänkereien* etc. Halae 1717. 4.

4. Plura alia collegit LOESCHERVS in *Ausführliche Historia motuum zwischen den Evangelisch Lutherischen und Reformirten* etc. Francof. et Lips. 1723. 24. III. 4. et *Concordia discors de origine et progressu F. C. Bergensis* — RVDOLPHO HOSPINIANO auctore. Tiguri 1607 fol.

§. XVIII.

Formula Bergensis epitomen habet articulorum controuersorum, eorumque solidam et vberiorem repetitionem et declarationem, denique catalogum testimoniorum scripturae et purioris antiquitatis de maiestate carnis Christi. Epitome illa exponit, quid Lutherani doctores credant, doceant et profiteantur I. de peccato originis; II. de libero arbitrio et viribus humanis; III. de iustitia fidei coram Deo; IV. de bonis operibus; V. de lege et euangelio; VI. de tertio vsu legis diuinae; VII. de coena Do-

tas non esse, nec esse necessarias, cum melius ad animae curam peruenire, et sine peccato et periculo peregrinationes illas omittere possimus. Art. Smalc. II. p. 309.

DE MAGISTRATIBVS POLITICIS ET DIGNITATE RERVM POLITICARVM.

§. XLIV.

De rebus ciuilibus docent, quod legitimae ordinationes ciuiles, sint bona opera Dei, quod Christianis liceat gerere Magistratus, exercere iudicia, iudicare res ex Imperatoriis et aliis praesentibus legibus, supplicia iure constituere, iure bellare, militare, lege contrahere, tenere proprium, iusiurandum postulantibus Magistratibus dare, ducere vxorem, nubere. Damnant Anabaptistas, qui interdicunt haec ciuilia officia Christianis. Damnant et illos, qui Euangelicam perfectionem non collocant in timore Dei et fide, sed in deserendis ciuilibus officiis, quia Euangelium tradit iustitiam aeternam cordis. Interim non dissipat Politiam aut Oeconomiam, sed maxime postulat conseruare tanquam ordinationes Dei, et in talibus ordinationibus exercere caritatem. Itaque necessario debent Christiani obedire Magistratibus suis et legibus. Nisi cum iubent peccare, tunc etiam magis

 debent

debent obedire Deo, quam hominibus. Act. 5. A. C. XVI.

DE CAERIMONIIS HVMANIS IN ECCLESIA.

§. XLV.

De ritibus Ecclesiasticis docent, quod ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, et prosunt ad tranquillitatem et bonum ordinem in Ecclesia, sicut certae feriae, festa et similia.

De talibus rebus tamen admonentur homines, ne conscientiae onerentur, tanquam talis cultus ad salutem necessarius sit.

Admonentur etiam, quod traditiones humanae institutae ad placandum Deum, ad promerendam gratiam et satisfaciendum pro peccatis, aduersentur Euangelio et doctrinae fidei. A. C. XV.

Cum autem ceremoniae debeant obseruari, tum vt discant homines Scripturam, tum vt verbo admoniti concipiant fidem, timorem atque ita orent etiam, nam hi sunt fines ceremoniarum: Latinam linguam retinemus propter hos, qui latine discunt atque intelligunt. Et admiscemus Germanicas cantiones, vt habeat et populus, quod discat, et quo excitet, fidem et timorem. Ap. p. 250.

Non

Non damnantur ipſa ieiunia ſed traditiones, quae certos dies, certos cibos praeſcribunt, cum periculo conſcientiae, tanquam iſtiusmodi opera ſint neceſſarius cultus.

Seruantur tamen apud nos pleraeque traditiones, quae conducunt ad hoc, vt res ordine geratur in eccleſia, vt ordo lectionum in Miſſa et praecipuae feriae. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non iuſtificet coram Deo, et quod non ſit ponendum peccatum in talibus rebus, ſi omittantur ſine ſcandalo. Haec libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in oriente alio tempore ſeruarunt Paſcha, quam Romae, et cum Romani propter hanc diſſimilitudinem accuſarent Orientem Schismatis, admoniti ſunt ab aliis, tales mores non oportere vbique ſimiles eſſe. Et Irenaeus inquit, diſſonantia ieiunii, fidei conſonantiam non ſoluit, ſicut et Diſt. 12. Gregorius Papa ſignificat, talem diſſimilitudinem non laedere vnitatem Eccleſiae. Et in hiſtoria Tripartita lib. 9. multa colliguntur exempla diſſimilium rituum, et recitantur haec verba: Mens Apoſtolorum fuit, non de diebus feſtis ſancire, ſed praedicare bonam conuerſationem et pietatem. A. C. V Abus.

Talis eſt obſeruatio diei Dominici, Paſchatis, Pentecoſtes et ſimilium feriarum et rituum. Nam qui iudicant Eccleſiae auctoritate pro Sabbato inſtitutam eſſe diei Dominici ob-

feruationem, tanquam necessariam, longe errant. Scriptura abrogauit Sabbatum, quae docet omnes ceremonias Mosaicas, post reuelatum Euangelium omitti posse. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, vt sciret populus, quando conuenire deberet, apparet ecclesiam ei rei destinasse diem dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, vt haberent homines exemplum Christianae libertatis et scirent, nec sabbati nec alterius diei obseruationem necessariam esse. A. C. VII Abus. Quam ob rem hoc praeceptum (de Sabbato – ad nos Christianos non pertinet. Est enim externa quaedam res, sicut omnes aliae V. T. constitutiones, *certis quibusdam* ritibus, personis, temporibus et locis *destinatae*, quae omnes iam per Christum liberae factae sunt. – Nos dies festos celebrare, non propter intelligentes et eruditos Christianos, *hi enim nihil opus habent feriis*, verum primo etiam corporalis cuiusdam causae et necessitatis gratia, quam et natura docet et exigit, nimirum communis multitudinis gratia, seruorum etc. qui per totam hebdomadam laboribus seruierunt, vt et ipsi diem habeant, qua ab operibus respirantes, semet ex labore reficiant etc. Deinde eam ob rem potissimum, vt die Sabbati, quando alias ei rei vacare non licet, otium et tempus sumatur cultui diuino seruiendi, ita vt conueniamus ad audiendum et tractandum dei verbum etc. Sed hoc, inquam, apud nos non perinde certis tempo-

Domini; VIII. de perſona Chriſti; IX. de deſcenſu Chriſti ad inferos; X. de caerimoniis eccleſiaſticis; XI. de aeterna praedeſtinatione et electione Dei; XII. de haereſibus et ſectis, quae Auguſtanam Confeſſionem nunquam ſunt amplexae, ſcil. de erroribus Anabaptiſtarum, Schwenkfeldianorum, nouorum Arianorum. Eosdem XII. articulos paullo latius perſequitur declaratio. Vterque libellus, epitome et declaratio, eandem in definiendis articulis ordinem ſeruat. Omnibus fere articulis ſtatus controuerſiae praemittitur. Tum ſequitur *affirmatiua* ſ. ſincera doctrina eccleſiae Dei de dogmate in controuerſiam vocato. *Negatiua* contrariam et falſam doctrinam de eodem dogmate proponit et reiicit.

Cf. IO. MVSAEI *praelectiones in epitomen* F. C. Ienae 1701. 4.

PARS PRIOR.

SYMBOLVM APOSTOLICVM. *)

Πιϛευω ἐις θεον, a) παντοκρατορα b). Και Ἰησȣ Χριϛον ὑιον ἀυτȣ τον μονογενη, τον κυριον ἡμων συλληφθεντα ἐκ πνευματος ἁγιȣ, γεννηθεντα ἐκ Μαριας, της παρθενȣ, c) ἐπι Ποντιȣ Πιλατȣ ϛαυρωθεντα, d) ταφεντα, e) τη τριτη ἡμερα ἀναϛαντα απο των νεκρων, ἀνελθοντα ἐις τȣς ȣ̓ρανȣς, καθεζομενον ἐν δεξια τȣ πατρος, f) ἐκειθεν ἐρχομενον κριναι ζωντας και νεκρȣς. g) Ἐις το πνευμα το ἁγιον, ἁγιαν h) ἐκ-

*) E cod. Cantabrig. VSSERII, ap. *Henkium* p. 6.

a) ┼ πατερα Rom. ||= Symbol. MARCELLI *Ancyrani* ap. EPIPHANIVM.

b) ┼ ποιητην ȣ̓ρανȣ και γης Rom.

c) ┼ παθοντα Rom.

d) ┼ θανοντα και Rom.

e) ┼ κατελθοντα ἐις τα κατωτα Rom. ||= reliqua exemplaria antiqua, tum graeca, tum latina.

f) ┼ παντο δυναμȣ Rom. ||= MARCELL. Vſſer. 2. et reliqua.

g) ┼ πιϛευω Rom. ||= MARCELL. Vſſer. 2. ordo Romanus.

h) ┼ καθολικην Rom. ||= MARCELL. Vſſer. 2. GELAS.

ἐκκλησιαν, i) αφεσιν αμαρτιων, σαρκος αναστασιν. k) Αμην.

SYMBOLVM NICAENVM.

GRAECE, EX EPISTOLA EVSEBII APVD ATHANASIVM. *)

Πιστευομεν εἰς ἑνα Θεον, πατερα παντοκρατορα, παντων ὁρατων τε και ἀορατων ποιητην. Και εἰς ἑνα κυριον a) Ἰησȣν Χριστον, τον ὑιον τȣ Θεȣ γεννηθεντα ἐκ τȣ πατρος μονογενη, τȣτεστιν ἐκ της ȣσιας τȣ πατρος, Θεον ἐκ Θεȣ, φως ἐκ φωτος, Θεον ἀληθινον ἐκ Θεȣ ἀληθινȣ, γεννηθεντα ȣ ποιηθεντα, ὁμοȣσιον τω πατρι· δἰ ȣ τα παντα ἐγενετο, τατε ἐν τω ȣρανω και τα ἐν τη γη· τον δἰ ἡμας τȣς ἀνθρωπȣς κατελθοντα, b) και σαρκωθεντα, c) ἐνανθρωπη-

i) + αγιων κοινωνιαν Rom. ||= MARC. GEL. Vſſer. 2.

k) + ζωην ἀιωνιον Rom. ||= MARC. GELAS. Vſſer. 2. — In LEONE M. deeſt tertius articulos totus.

*) ATHANAS. *Opp.* Tom. II. ed. *Commelin.* p. 49.

a) + ἡμων BASILIVS, HILARIVS, RVFIN. LEO M.

b) + ἐκ των ȣρανων BASIL.

c) + ἐκ πνευματος ἁγιȣ και Μαριας της παρθενȣ, και Concil. *Chalced.* act. V.

πησαντα, [d]) παθοντα, [e]) και ἀναςαντα τη τριτη ἡμερα, [f]) ἀνελθοντα ἐις τȣς ȣ̓ρανȣς [g]) και [h]) ερχομενον κριναι ζωντας και νεκρȣς [i]). Και εἰς το ἁγιον [k]) πνευμα. [l]) Τȣς δε λεγοντας, ἠν ποτε, ὁτε ὀυκ ἠν, και πριν γεννηθη· και ουκ ἠν, και ὁτι ἐξ ὀυκ ὀντων ἐγενετο, ἠ ἐξ ἑτερας ὑποςασεως, ἠ [m]) ȣ̓σιας φασκοντας ειναι, ἠ κτιςον, ἠ τρεπτον, ἠ ἀλλοιοτον, τον ὑιον τȣ θεȣ, αναθεματιζει ἡ [n]) καθολικη [o]) εκκλησια.

SYM-

d) ✝ ςαυρωθεντα ὑπερ ἡμων ἐπι Ποντιȣ Πιλατȣ κι Conc. *Chalc.* ib.

e) ✝ και ταφεντα Conc. *Chal.* ib. et GELAS.

f) ✝ κατα τας γραφας Conc. *Chalc.* ib.

g) ✝ και καθεζομενον ἐν δεξια τȣ πατρος Conc. *Chalc.* ib. GELAS. *Afric.*

h) ✝ παλιν μετα δοξης Conc. *Chalc.* ib.

i) ✝ ȣ̔ της βασιλειας ȣ̓κ ἐςαι τελος *Chalc.* ib.

k) ✝ ἀυτȣ GELAS.

l) ✝ το κυριον και ζωοποιον *Chalc.* ib.

m) ✝ ἐξ ἀλλης *Afric.*

n) ✝ ἁγια και THEODORET. || ἡ ἁγια τȣ θεȣ και *Ephes.*

o) ✝ και ἀποςολικη *Chalced.* act. II et V. *Ephes.* ATHANAS. ad Iovin. SOCR. GELAS. BASIL. THEODOT. THEODORET. EVTYCH. LVCIF. RVFIN. AFRIC. EPIPH. cod. *Veron.* Verba post: *et in Spiritum Sanctum*, LEO M. non habet.

temporibus, *ſicut apud Iudaeos*, allegatum eſt, vt ei rei hic aut ille dictus aut praeſtitutus eſt; nullus enim dies altero eſt melior etc. Catech. Mai. p. 424.

Neque tamen tam arcte et ſuperſtitioſe colantur feriae, vt *earum gratia* labores, qui vitari et intermitti non poſſunt, interdicantur.

Hic dies (Sabbati ſc.) pro ſe non opus habet ſanctificatione – Hoc autem Deus a te contendit: vt *tibi* ſit ſanctus. Ita fit, vt tui gratia ſanctus aut profanus reddatur, quatenus tu in eo ſanctis aut profanis operibus vacaueris. Ibid. p. 425.

Quid igitur ſentiendum eſt de die Dominico, et ſimilibus ritibus templorum? Ad haec reſpondent, quod liceat Epiſcopis ſeu paſtoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Eccleſia, non vt per illas mereamur gratiam. A. C. VII Abus.

Confitemur, quod ceremoniae ſ. ritus eccleſiaſtici, qui verbo dei neque praecepti ſunt, neque prohibiti, ſed tantum decori et ordinis cauſa inſtituti, *non ſint* per ſe *cultus diuinus*, aut aliqua ſaltem pars cultus diuini. – Confitemur, eccleſiae dei, vbiuis terrarum et quocunque tempore, licere, pro re nata, ceremonias tales *mutare*, iuxta eam rationem, quae eccleſiae dei vtiliſſima et ad aedificationem eiusdem maxime accommodata indicatur –

inpri

inprimis vero infirmorum in fide rationem habendam et iis parcendum esse censemus. Credimus – quod temporibus persecutionum – hostibus euangelii in rebus adiaphoris non sit cedendum – ; quod ecclesia alia aliam damnare non debeat, propterea, quod haec vel illa plus minusue externarum ceremoniarum, quas dominus non instituit, obseruet. Epit. p. 615. 16.

Ex hac persuasione de traditionibus multa incommoda in Ecclesia secuta sunt.

Primo, obscurata est doctrina de gratia et iustitia fidei, quae est praecipua pars Euangelii, et quam maxime oportet extare et eminere in ecclesia, vt meritum Christi bene cognoscatur, et fides, quae credit remitti peccata propter Christum, longe supra opera collocetur.

Secundo, hae traditiones obscurauerunt praecepta Dei, quia traditiones longe praeferebantur praeceptis Dei.

Tertio, traditiones attulerunt magna pericula conscientiis, quia impossibile erat omnes traditiones seruare, et tamen homines arbitrabantur has obseruationes necessarios esse cultus A. C. V Abus.

Nec interest inter nostras traditiones et Mosaicas ceremonias, quod ad hanc rem attinet. Paullus ideo damnat Mosaicas ceremonias, sicut traditiones damnat, quia existimaban-

bantur esse opera, quae mererentur iustitiam coram Deo. Ita obscurabatur officium Christi et iustitia fidei. Ap. p. 206.

Exstant prodigiosae disputationes de mutatione legis, de ceremoniis nouae legis, de mutatione Sabbati, quae omnes ortae sunt ex *falsa* persuasione, quod oporteat in Ecclesia cultum esse similem Leuitico. Et quod Christus commiserit Apostolis et Episcopis excogitare nouas ceremonias, quae sunt ad salutem necessariae. A. C. VII Abus.

Cf. vtique ROSENMVELLERI nostri egregia commentatio *de religione publica iam inde a seculo p. Chr. n. II. traditionibus corrupta.* Giessae 1783. 4.

DE MORTIFICATIONE CARNIS.

§. XLVI.

Semper docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones. Haec est vera, seria et non simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri et crucifigi cum Christo.

Insuper docet, quod quilibet Christianus, debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitiis et laboribus sic exercere et coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, non vt per illa exercitia mereamur gratiam, aut satisfaciamus pro peccatis. Et hanc corpora-

poralem disciplinam oportet semper vrgere, non solum paucis et constitutis diebus. A. C. V. Abus.

§. XLVII.

DE COELIBATV ET CONIVGIO SACERDOTVM.

Cum igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt vxores, ac docuerunt, quod liceat ipsis contrahere matrimonium. Primum, quia Paullus dicit: vnusquisque habeat vxorem suam propter fornicationem. Item: Melius est nubere, quam vri. Secundo, Christus inquit: non omnes capiunt verbum hoc, vbi docet, non omnes homines ad coelibatum idoneos esse, quia Deus creauit hominem ad procreationem Genes. I. Nec est humanae potestatis, sine singulari dono et opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad coelibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei et ordinationem Dei, nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Constat etiam, in Ecclesia veteri sacerdotes fuisse maritos. Nam et Paullus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus. A. C. II Abus.

Cum autem extet mandatum Dei, cum mos Ecclesiae notus sit, cum impurus coelibatus plurima pariat Scandala, adulteria et alia scelera, digna animaduersione boni magistratus: tamen mirum est, nulla in re maiorem exer-

SYMBOLUM CONSTANTINOPOLITANUM. *)

Πιστεομεν ἐις ἑνα Θεον πατερα παντοκρατορα, ποιητην ουρανου καὶ γης, ὁρατων τε παντων και ἀορατων. Και ἐις ἑνα κυριον Ιησουν Χριστον, τον ὑιον του Θεου τον μονογενη, τον ἐκ του πατρος γεννηθεντα προ παντων των ἀιωνων, φως ἐκ φωτος, Θεον ἀληθινον ἐκ Θεου ἀληθινου, γεννηθέντα ου ποιηθεντα, ὁμοουσιον τω πατρι. δι' ου τα παντα ἐγενετο. Τον δι' ἡμας τους ἀνθρωπους κατελθοντα ἐκ των ουρανων, και σαρκωθεντα ἐκ πνευματος ἁγιου και Μαριας της παρθενου, και ἐνανθρωπησαντα, σταυρωθεντα τε ὑπερ ἡμων ἐπι Ποντιου Πιλατου, και παθοντα, και ταφεντα, και ἀναστάντα ἐν τη τριτη ἡμερα κατα τας γραφας, και ἀνελθοντα ἐις τους ουρανους, και καθεζομενον ἐκ δεξιων του πατρος, και παλιν ερχομενον μετα δοξης κριναι ζωντας και νεκρους· ου της βασιλειας ουκ ἐσται τελος. Και ἐις το ἁγιον πνευμα, το κυριον, το ζωοποιουν, το ἐκ του πατρος a) ἐκπορευομενον, το συν πατρι και ὑιω συμπροσκυνουμενον, και συνδοξαζομενον, το λαλησαν δια των προφητων. Ἐις μιαν ἁγιαν καθολικην και ἀποστολικην ἐκκλησιαν. Ὁμολογουμεν ἑνα βαπτισμον, ἐις αφεσιν ἁμαρτιων.

*) Ex actis concil. *Const.* ap. *Henkium* p. 18.

a) + et filio *Hispanic.*, Toletano tamen concilio et Vallicellano codice, exceptis.

τιων· προσδοκωμεν ἀναςασιν νεκρων και ζωην τȣ μελλοντος αἰωνος. Αμην.

ATHANASIANA FIDEI EXPOSITIO.*)

Πιςευω ἐις ἑνα θεον πατερα παντοκρατορα ἀει οντα θεον πατερα. Και ἐις τον λογον θεον τον μονογενη ὑιον τȣ θεȣ, ὁτι συνυπαρχει τω πατρι τω ἰδιω, και ὁτι ἐκ της ȣσιας τȣ θεȣ τȣ πατρος ἐςιν ὁ ὑιος· και ὁτι ἐις ὁ ὑιος τȣ ἰδιȣ πατρος τυγχανει, και ὁτε ἰσοτιμος ἐςιν ὁ ὑιος τȣ θεȣ και πατρος ἀυτȣ· ὁτι τε κατα παντων το κρατος και το κυρος ἐχει ὁ τȣ θεȣ ὑιος και ὁτι συν τω πατρι ἀυτȣ παρεςι πανταχȣ τη θεοτητι, και ὁτι παντα περιεχει τη ȣσια ἀυτȣ, και ὁτι ὀυ περιεχεται ὑπ᾽ ȣδενος ὁ ὑιος τȣ θεȣ, καθαπερ ὁ θεος ὁ πατηρ ἀυτȣ· Και ἐις το πνευμα το ἁγιον, ὁτι της τȣ πατρος ἐςιν ȣσιας, και συναιδιον τω πατρι και ὑιω τυγχανει το ἁγιον πνευμα, και ὀυ κεχωριςαι τη θεοτητι. Τον λογον φημι ἐν σαρκι γεγονέναι.

*) Eam, ex codice Regio Parif. Saec. XIV, publici iuris fecit BERNH. DE MONTFAVCON in *collectione noua patrum et fcriptorum graecorum*, Tom. II. (Parif. 1706. fol.) pag. 106.

SYM-

SYMBOLVM

QVICVNQVE, INCERTI AVCTORIS,

E RECENSIONE WATERLANDI. *)

I. Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus habet, vt teneat catholicam fidem.

II. Quam nisi quisque integram inuiolatamque seruauerit, absque dubio in aeternum peribit.

III. Fides autem catholica haec est, vt vnum deum in trinitate et trinitatem in vnitate veneremur.

IV. Neque confundentes personas, neque substantiam separantes.

V. Alia est enim persona patris, alia filii, alia spiritus sancti.

VI. Sed patris et filii et Sp. S. vna est diuinitas, aequalis gloria, coaeterna maiestas.

VII. Qualis pater, talis filius, talis et Spiritus Sanctus.

VIII. Increatus pater, increatus filius, increatus et Spiritus S.

IX.

*) Ap. HENKIVM p. 26.

IX. Immenſus pater, immenſus filius, immenſus et Spiritus S.

X Aeternus pater, aeternus filius, aeternus et Spiritus S.

XI. Et tamen non tres aeterni, ſed vnus aeternus.

XII. Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed vnus increatus, et vnus immenſus.

XIII. Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens et Spiritus S.

XIV. Et tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens.

XV. Ita deus pater, deus filius, deus Spiritus S.

XVI. Et tamen non tres dii, ſed vnus eſt deus.

XVII. Ita dominus pater, dominus filius, dominus et Spiritus S.

XVIII. Et tamen non tres domini, ſed vnus eſt dominus.

XIX. Quia, ſicut ſingulatim vnamquamque perſonam et deum et dominum confiteri, chriſtiana veritate compellimur, ita tres deos aut dominos dicere, catholica religione prohibemur.

XX. Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

XXI. Filius a patre ſolo eſt, non factus, non creatus, ſed genitus.

XXII.

XXII. Spiritus S. a patre et filio, non factus, nec creatus, nec genitus est, sed procedens. [a])

XXIII. Vnus ergo pater, non tres patres vnus filius, non tres filii: vnus Spiritus S. non tres Spiritus Sancti.

XXIV. Et in hac trinitate, nihil prius, aut posterius; nihil maius aut minus; sed totae tres personae coaeternae sibi sunt et coaequales.

XXV. Ita vt per omnia, sicut iam supra dictum est, et vnitas in trinitate et trinitas in vnitate veneranda sit.

XXVI. Qui vult ergo saluus esse, ita de trinitate sentiat.

XXVII. Sed necessarium est ad aeternam salutem, vt incarnationem quoque domini nostri I. C. fideliter credat.

XXVIII. Est ergo fides recta, vt credamus et confiteamur, quia dominus noster I. C. dei filius, deus pariter et homo est.

XXIX. Deus est ex substantia patris ante secula genitus homo ex substantia matris in seculo natus.

XXX. Perfectus deus, perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens.

XXXI. Aequalis patri secundum diuinitatem, minor patre, secundum humanitatem.

XXXII.

a) + *patri et filio coaeternus est*, glossa est in AMBROS.

XXXII. Qui licet deus ſit et homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

XXXIII. Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed adſumtione humanitatis in deum.

XXXIV. Vnus omnino, non confuſione ſubſtantiae, ſed vnitate perſonae.

XXXV. Nam, ſicut anima rationalis, et caro vnus eſt homo, ita et deus et homo vnus eſt Chriſtus.

XXXVI. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis.

XXXVII. Adſcendit in coelos, ſedet ad dextram, b) inde venturus iudicare viuos et mortuos.

XXXVIII. Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis et reddituri ſunt de factis propriis rationem.

XXXIX. Et qui bona egerunt, ibunt in vitam aeternam, qui vero mala, in ignem aeternum.

XXXX. c) Haec eſt fides catholica, quam niſi quisque fideliter firmiterque crediderit ſaluus eſſe non poterit.

---

§. I.

b) *dei patris omnipotentis* recentiores codd. et edd. addunt.

c) Cod. Colbert. art. 40 ita habet: *Haec eſt fides ſancta et catholica, quam omnis homo, qui ad vitam aeternam peruenire deſiderat, ſcire integre debet et fideliter cuſtodire.*

§. I.

SACRAM SCRIPTVRAM ESSE NORMAM AD QVAM OMNIA, QVAE DE REBVS FIDEI DISPVTANTVR, EXIGENDA SINT.

Offerimus, in hac religionis caussa nostrorum concionatorum et nostram confessionem, cuiusmodi doctrinam *ex scripturis sacris et puro verbo Dei*, hactenus illi in nostris terris, ducatibus, ditionibus et vrbibus tradiderint. *Praef. A. C.* p. 6.

Tantum ea recitata sunt, quae videbantur necessario dicenda esse, vt intelligi possit in *doctrina* ac *ceremoniis*, apud nos, nihil esse receptum contra *scripturam* aut *ecclesiam catholicam*, quia manifestum est, nos diligentissime cauisse, ne qua noua et impia dogmata in ecclesias nostras serperent. *Epilog. A. C.*

MELANCHTH. *loc. comm. theol.* (1546. Lips. 8.) pag. 49. Quanquam autem haec consideratio vniuersae naturae admonet nos de Deo, tamen nos referamus *initio* mentem, et oculos ad omnia testimonia, in quibus se Deus ecclesiae patefecit — *deinde* considerent etiam vestigia Dei impressa naturae.

Cf. IAC. VSSERII *historia dogmatica controuersiae inter orthodoxos et pontificios de scripturis et sacris vernaculis — notis atque auctario locupletauit* HENRIC. WHARTON. Lond. 1690. 4, nec non CHR. WILH FRANZ.

WALCHS *kritische Untersuchung vom Gebrauch der heil. Schrift unter den alten Christen in den vier ersten Jahrhunderten.* Leipz. 1779. 8.

DE DEO.

§. II.

DESCRIPTIO DEI.

Quod sit vna essentia diuina, quae et appellatur et est Deus aeternus, incorporeus, impartibilis, immensa potentia, sapientia, bonitate, creator et conseruator omnium rerum visibilium et inuisibilium, et tamen tres sint personae, eiusdem essentiae et potentiae et coaeternae, Pater, Filius et Spiritus sanctus A. C. I.

§. III.

QVID SIT PERSONA.

Nomine *personae* vtuntur ea significatione, qua vsi sunt in hac causa scriptores ecclesiastici, vt significet, non partem aut qualitatem, sed *quod proprie subsistit.* A. C. I.

MELANCHTH. *loc comm. theol.* p. 11. persona est substantia indiuidua, intelligens et incommunicabilis. Satis constat veteres scriptores ecclesiae solitos, haec duo vocabula discernere, *ουσιαν* et *ὑποστασιν*, et dicere: *vnam* esse *ουσιαν*, sed *tres ὑποστασεις*, i. e. tres vere subsistentes, non commentitios, non caducos, non confusos, sed distinctos, seu singulares intelligentes.

§. IV.

DE FILIO DEI.

Item docent, quod Verbum, hoc est, filius Dei, assumserit humanam naturam in vtero

ro beatae Mariae virginis, vt ſint *duae naturae*, diuina et humana, in vnitate perſonae inſeparabiliter coniunctae, *vnus* Chriſtus, *vere Deus et vere homo*, natus ex Virgine Maria, vere paſſus, crucifixus, mortuus et ſepultus, vt reconciliaret nobis Patrem, et hoſtia eſſet non tantum pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem deſcendit ad inferos et vere reſurrexit tertia die, deinde aſcendit ad coelos, vt ſedeat ad dextram patris et perpetuo regnet et dominetur omnibus creaturis, ſanctificet credentes in ipſum, miſſo in corda eorum Spiritu ſancto, qui regat, conſoletur ac viuificet eos, ac defendat aduerſus diabolum et vim peccati. Idem Chriſtus palam eſt rediturus, vt iudicet viuos et mortuos etc. A. C. III.

Cf. GE. BVLLII *defenſio fidei Nicaenae de aeterna diuinitate filii Dei ex ſcriptis SS. Patrum, qui intra tria Eccl. Chr. ſaecula floruerunt*, et EI. *iudicium eccleſiae catholicae trium ſaecul. de neceſſitate credendi quod I. C. ſit verus deus* in EL. *Opp.*, edit GRAB. Lond. 1703. fol. *Diſquiſitiones modeſtae in* BVLLI *defenſionem fidei Nic. auctore* DAN. WHITBY, ed 2. Lond. 1720. 8. *Le platonisme deuoilé*, (auctore SOVVERAIN) Col. 1700. 8.

§. V.

DE DIVINITATE FILII.

Filius Dei per ſe integra et diſtincta diuinitatis aeternae perſona eſt, adeoque verus, ſubſtantialis, perfectus Deus, cum patre et

ſpiritu ſ. ab aeterno fuit – in plenitudine temporis humanam naturam in vnitatem ſuae perſonae aſſumſit, non ita, quaſi duae iam in Chriſto perſonae, aut duo Chriſti facti ſint, ſed quod Chr. Ieſus iam in vna perſona ſimul verus ſit aeternus deus, ab aeterno ex patre genitus, et verus homo, e laudatiſſima virgine Maria natus, vt ſcriptum eſt Rom. 9, 5. Declar. p. 762.

§. VI.

DE DVABVS NATVRIS IN CHRISTO.

Aſſerendo, non duas perſonas Chriſti, ſed vnum Chriſtum, et hanc perſonam in duabus diſtinctis naturis ſubſiſtentem, diuina ſc. et humana, non diuulſis, neque confuſis, aut vna in alteram conuerſa, ſed ita vt vtraque natura ſubſtantiales proprietates ſuas retineat, neque in omnem aeternitatem easdem deponat, et vnius naturae proprietates eſſentiales, quae toti perſonae recte et vere adſcribuntur, nunquam fiant alterius naturae idiomata (eſſentialia) etc. F. C. p. 833. Epit. Art. VIII. p. 606. et Declarat. p. 762. ſqq.

§. VII.

DE DISCERNENDIS PROPRIETATIBVS HVMANAE ET DIVINAE NATVRAE CHRISTI ET DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.

Credimus – quod omnipotentem eſſe, aeternum, infinitum, vbique ſimul eſſe, naturaliter, h. e. ſecundum proprietatem naturae, et

et naturalis illius essentiae, per se vbique praesentem esse, omnia nosse, sint reuera essentiales naturas diuinae proprietates, quae etiam humanae naturae *essentiales* proprietates in aeternum nunquam fiant.

At vero: esse corpoream creaturam, carnem et sanguinem, finitum et circumscriptum esse, pati, mori, ascendere, descendere, de loco in locum moueri, esurire etc. esse proprietates humanae naturae statuimus, quae nunquam proprietates diuinae naturae fiant. Declar. p. 763. art. VIII.

Credimus – quod iam post factam incarnationem non quaelibet natura in Christo per se ita subsistat, vt vtraque sit persona separata, aut, quod vtraque personam singularem constituat, sed ita naturas vnitas esse sentimus, vt vnicam tantum personam constituant, in qua simul personaliter ambae, diuina et humana natura assumta vnitae sint et subsistant, ita quidem, vt iam, post incarnationem, ad integram Christi personam, non modo diuina sed etiam assumta humana natura pertineat, et quod persona filii Dei incarnati, vt sine diuinitate sua, ita etiam sine humanitate sua non sit integra persona. Declar. p. 763.

De hypostatica vnione non ita sentiendum est – quasi duae illae naturae – eo modo vnitae sint, quo duo asseres conglutinantur, vt realiter s. re ipsa et vere nullam prorsus communica-

nicationem inter se habeant, Decl. p. 764 — Et quidem erudita antiquitas vnionem hypostaticam et naturarum communicationem similitudine animae et corporis, item ferri candentis aliquo modo declarauit. Decl. p. 764.

Illius hypostaticae vnionis et communicationis virtute omnia miracula sua edidit, et diuinam suam maiestatem pro liberrima voluntate, quando et quomodo ipsi visum fuit, manifestauit. Ib. p. 767.

Vt non modo nomina communia, sed realiter etiam et re ipsa inter se, sine omni confusione et exaequatione essentiarum communicent (diuina et humana natura Chr.) promanet etiam doctrina illa de communicatione idiomatum duarum in Christo naturarum. Ibid. p. 768. 69.

Cum autem indubitatum — sit, quod propria non egrediantur sua subiecta h. e. quod quaelibet natura suas proprietates essentiales retineat, et illae non ab vna natura separentur, atque in alteram, tanquam aqua de vase vno in aliud, transfundentur, nulla prorsus fieri aut constare posset proprietatum communicatio, nisi illa — personalis naturarum in Christo esset vnio et communicatio. Ibid. p. 769.

His vocabulis (realis communicatio, realiter communicari) nunquam vllam physicam communicationem vel essentialem transfusionem

nem (qua naturae in ſuis eſſentiis, aut eſſentialibus proprietatibus confunderentur) docere voluimus – ſed vocabula et phraſes illas *verbali* communicationi oppoſuimus, cum quidam fingerent, communicationem idiomatum nihil aliud, niſi phraſin et modum quendam loquendi h. e. mera tantum verba, nomina et titulos inanes eſſe. Decl. p. 778.

Propoſitiones enim et praedicationes, quibus vtimur, cum de perſona Chriſti, et de naturis et proprietatibus eius loquimur, non omnes ſunt vnius generis aut modi.

Primo, cum in Chriſto duae ſint diſtinctae naturae, quae eſſentiis et proprietatibus ſuis neque mutantur, neque confunduntur; vtriusque vero naturae vna tantum ſit perſona: ea quae vnius tantum naturae propria ſunt, alteri naturae non ſeorſim, quaſi ſeparatae, ſed toti perſonae (quae ſimul deus et homo eſt) attribuuntur, ſiue deus ſiue homo nominetur, ſed in hoc praedicationum genere non ſequitur, quod ea, quae toti perſonae tribuuntur, ſimul vtriusque naturae ſint proprietates, ſed diſtincte declarandum eſt, ſecundum quam naturam aliquid toti perſonae adſcribatur. – Hoc Cinglius vocat *Alloeoſin*, quum aliquid de diuinitate Chriſti dicitur, quod tamen humanitatis proprium eſt, et contra. V. gr. nonne haec oportuit pati Chriſtum etc. – Recte igitur dicitur: filius dei patitur – re vera enim filius dei

dei pro nobis est crucifixus h. e. persona, quae deus est. Ipsa enim persona crucifixa est, secundum humanitatem. – Non in sua natura Deus mori potest. Postquam autem Deus et homo vnitus est in vna persona, recte et vere dicitur: Deus mortuus est, videlicet, ille homo moritur, qui cum Deo vnum quiddam s. vna persona est.

Deinde, quod ad rationes officii Christi adtinet, persona non agit et operatur in s. cum vna vel per vnam naturam tantum. sed potius in, cum et secundum atque per vtramque naturam s. vt concilium Chalced. loquitur, vna natura agit s. operatur cum communicatione alterius quod cuiusque proprium est. Itaque Christus est noster mediator etc. non secundum vnam tantum naturam, siue diuinam s. humanam, sed secundum vtramque naturam.

Tertio vero longe adhuc aliud est, quando de eo quaeritur – an duae illae naturae in hypostatica vnione in Christo nihil amplius, nisi suas naturales essentiales proprietates habeant; quod enim easdem habeant et retineant, supra docuimus. Quantum ergo ad diuinam in Chr. naturam attinet, cum in ipsa – nulla sit transmutatio: diuinae Chr. naturae per incarnationem nihil (quoad essentiam et proprietates, eius) vel accessit, vel decessit, et per eam in se, vel per se neque diminuta neque aucta est. Iam quod ad humanam naturam –

ram – attinet – ſacrae literae et orthodoxi PP. praeclare teſtantur, quod humana natura in Chriſto, eam ob cauſam et inde adeo quod cum diuina natura perſonaliter vnita eſt – praeter et ſupra naturales – humanas proprietates, etiam ſingulares, excellentiſſimas, maximas, ſupernaturales, imperueſtigabiles – praerogatiuas maieſtatis, gloriae etc. acceperit; vt ita humana in Chr natura (ſuo modo et ratione) in exſequendo officio Chriſti ſimul adhibeatur, cooperetur etc. Declar. p. 770. ſeqq.

DE DISCERNENDIS DICTIS LOQVENTIBVS DE ESSENTIA FILII ET DE OFFICIIS.

MELANCHTH. *loc. th.* p. 33. Quaedam dicta de eſſentia loquuntur, quaedam de officiis. Ariani citabant hoc dictum: pater maior me eſt; quod manifeſte loquitur de diſcrimine mittentis et miſſi, non de eſſentia. Quum enim Iudaei accuſarent Chriſtum, quod doceret contra autoritatem Dei, neceſſe fuit Chriſto allegare autoritatem patris, a quo affirmat ſe miſſum eſſe et traditam ſibi doctrinam et mandatum docendi etc. Ita alibi dicitur: pater glorifica me etc. At hoc dictum de eſſentia loquitur, Ioan. I. verbum erat Deus.

DE MAIESTATE CARNIS CHRISTI.

Credimus – aſſumtam humanam naturam in Chriſto non tantum eſſentiales et naturales ſuas proprietates habere et retinere, ſed praeterea etiam per vnionem perſonalem, qua cum diui-

diuinitate mirando modo copulata eſt, et poſtea per glorificationem exaltatam eſſe ad dexteram maieſtatis etc. Decl. p. 764 et 67.

Maieſtatem illam, humanae Chriſti naturae, extra vnionem perſonalem, nequaquam adſcribendam eſſe, nec etiam concedendum, quod humana natura eam maieſtatem, vel propriam, vel per ſe (etiam in vnione perſonali) eſſentialiter, formaliter, habitualiter, ſubiectiue poſſideat. Nam ſi eam et dicendi, et docendi rationem teneremus, diuina et humana naturae, vna cum proprietatibus ſuis confunderentur: humana etiam diuinae, ratione eſſentiae et proprietatum, exaequaretur, immo vero tota negaretur. Sentiendum ergo eſſe theologi iudicant, id ratione et diſpenſatione hypoſtaticae vnionis fieri. *Praef. libr. Concord.* b. 3.

Vide quoque *catalogum teſtimoniorum cum ſcripturae, tum purioris antiquitatis, oſtendentium, quid vtraque non modo de perſona, deque diuina maieſtate humanae naturae Domini noſtri I. C. euectae ad dextram omnipotentiae Dei, tradiderit, ſed etiam quibus loquendi formulis vſa ſit.* Lib. Concord. p. 831. ſeqq.

§. VIII.

DE DESCENSV CHRISTI AD INFEROS.

Diſceptatum fuit – inter quosdam theologos – quando et quomodo dominus noſter I. C. – ad inferos deſcenderit; an id ante vel poſt

post mortem eius factum sit. Praeterea quaesitum fuit, num anima tantum, an diuinitate sola, an vero anima et corpore descenderit; idque an spiritualiter, an vero corporaliter sit factum. Disputatum etiam est, num hic articulus ad passionem, an vero ad gloriosam victoriam et triumphum Christi sit referendus — Satis nobis esse debet, si sciamus, Christum ad inferos descendisse; inferuum omnibus credentibus destruxisse, nosque per ipsum e potestate mortis et Satanae, ab aeterna damnatione atque adeo e faucibus inferni ereptos. Quo autem modo haec effecta fuerint, non curiose scrutemur. Epit. art. IX. p. 613. — Addit Declar. p. 788: videmus, sepulturam et descensum Christi ad inferos distingui (in symbolo). Simpliciter igitur credimus, quod tota persona, deus et homo, post sepulturam, ad inferos descenderit, satanam deuicerit, potestatem inferorum euerterit et diabolo omnem vim et potentiam eripuerit.

Cf. IOH. AVG. DIETELMAIERI *historia dogmatis de descensu Christi ad inferos literaria*, *cum prolusione* I. B BERNHOLDI. Norimb. 1741. 8. edit. 2. auct. Altorf. 1762.

§. IX.

DE CHRISTO HVMILIATO AVT REGNANTE.

Maiestatem, ratione vnionis personalis, semper Christus habuit, sed in statu suae humiliationis sese *exinaniuit*; qua de causa, re vera,

vera, aetate, ſapientia et gratia apud Deum atque homines profecit. Quare maieſtatem illam non ſemper, ſed quoties ipſi viſum fuit, exeruit; donec formam ſerui, non autem naturam humanam, *poſt reſurrectionem*, plane et prorſus deponeret, et in plenariam vſurpationem, manifeſtationem, et declarationem diuinae maieſtatis collocaretur et hoc modo in gloriam ſuam ingrederetur. Itaque iam non tantum vt Deus, verum etiam vt homo, omnia nouit, omnia poteſt, omnibus creaturis praeſens eſt, et omnia, quae in coelis, in terris et ſub terra ſunt, ſub pedibus ſuis et in manu ſua habet. – Hanc ſuam poteſtatem vbique praeſens exercere poteſt, neque quicquam illi aut impoſſibile eſt aut ignotum. Epit. p. 608.

§. X.

DE APPELLATIONE SPIRITVS SANCTI.

Sunt – multiplices in ſcriptura ſpiritus, veluti humani, coeleſtes et mali ſpiritus. Verum enim vero ſpiritus Dei ſolus *ſanctus ſpiritus* dicitur, h. e. qui nos ſanctificauit et adhuc ſanctificat. Nam quemadmodum pater creator, filius redemtor dicitur, ita quoque ſpiritus S. *ab officii ſui opere* ſanctus aut ſanctificator dicendus eſt. Catech. Mai. p. 496.

Cf. ROSENMÜLLERI noſtri *obſeruationes ad hiſtoriam dogmatis de ſpiritu ſ. pertinentes*: Erlang. 1782. 4. IO. GE. WALCHII *Controuerſiae Graecorum Latinorumque de proceſſione ſpiritus ſ.* Ienae 1751. 8.

Spiri-

Spiritus f. fanctificationis munus exfequitur per fequentia, h. e per communionem SS. aut ecclefiam Chr. remiffionem peccatorum etc. Hoc eft, primum nos duxit fpiritus f. in fanctam communionem fuam, ponens in finum ecclefiae, per quam nos docet et Chrifto adducit. – Sanctificare nihil aliud eft, quam ad Chriftum adducere, ad fufcipiendum bona per Chr. nobis parta, ad quae per nosmetipfos peruenire nunquam poffemus. Catech. Mai. p. 496. 97.

§. XI.

DE CREATIONE.

Pater, filius et fpiritus f. in vna diuina effentia et natura, tres diftinctae perfonae, funt vnus Deus, qui *creauit* coelum et terram. Art. Smalc. p. 303.

MELANCHTH. *loc. th.* p. 48. Voluit Deus innotefcere et fe confpici. Ideo et condidit omnes naturas et miram artem adhibuit, vt conuinceret nos, non extitiffe res *cafu*, fed *effe aeternam mentem*, architectatricem, bonam, iuftam, *fpectantem hominum facta et iudicantem.* Eft autem articulus de creatione Gen. I. et alibi faepe expreffus, quod videlicet, Deus aeternus, Pater Domini noftri I. C. vna cum filio coaeterno et fpiritu fancto *condiderit* ex nihilo coelum et terram, *angelos* et homines et omnia reliqua corpora.

§. XII.

§. XII.

DE CAVSSA PECCATI.

De cauſſa peccati docent, quod tametſi Deus creat et conſeruat naturam, tamen cauſa peccati eſt *voluntas malorum*, videlicet, diaboli et impiorum, quae non adiuuante Deo auertit ſe a Deo ſicut Chriſtus ait, Ioan. 8, 44. Cum loquitur mendacium, ex ſe ipſo loquitur. A. C. XIX.

§. XIII.

DE VIRIBVS HVMANIS ET LIBERO ARBITRIO.

De libero arbitrio docent, quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam ciuilem iuſtitiam et deligendas res rationi ſubiectas. Sed non habet vim ſine ſpiritu ſancto efficiendae iuſtitiae Dei, ſeu iuſtitiae ſpiritualis, quia animalis homo non percipit ea, quae ſunt ſpiritus Dei, ſed haec fit in cordibus, cum per verbum ſpiritus ſanctus concipitur. Haec totidem verbis dicit Auguſtinus lib. III. Hypognoſticon. Damnant Pelagianos et alios qui docent, quod ſine ſpiritu ſancto ſolis naturae viribus poſſimus Deum ſuper omnia diligere. Item praecepta Dei facere, quoad ſubſtantiam actuum. A C. XVIII.

Meri ſunt errores ſcholaſticorum dogmata quibus docetur: poſt Adae lapſum, hominis naturales vires manſiſſe integras et incorruptas, et hominem naturaliter habere ra-

tionem

tionem rectam et bonam voluntatem – et: hominem habere liberum arbitrium faciendi bonum et omittendi malum, et e contra, omittendi bonum et faciendi malum. *A. Sm.* p. 318.

Credimus, quod hominis *non renati* intellectus, cor et voluntas in rebus *spiritualibus et diuinis*, ex propriis naturalibus viribus prorsus nihil intelligere, credere – velle, inchoare, perficere – operari aut cooperari possint, sed homo ad bonum prorsus corruptus et mortuus sit. -- Inde adeo naturale liberum arbitrium ratione corruptarum virium -- duntaxat ad ea, quae Deo displicent, actiuum et efficax est. F. C. Decl. p. 656.

Antequam autem homo per Sp. S. illuminatur, conuertitur etc. nihil inchoare operari aut cooperari potest, nec plus, quam lapis, truncus aut limus. Ibid. p. 662.

Prodest ista distributio, in qua tribuitur *libero arbitrio* iustitia ciuilis, et iustitia spiritualis *gubernationi Spiritus Sancti* in renatis. Ap. p. 219.

Nos propriis viribus non posse ad Chr. venire, sed Deum dare nobis spiritum s. a quo illuminamur, sanctificamur, et ita ad Chr. per fidem adducimur, atque in ipso conseruamur. F. C. Declar. p. 667.

Falsum est, quod ratio propriis viribus possit Deum supra omnia diligere et legem Dei facere,

facere, videlicet vere timere Deum, vere ſtatuere, quod Deus exaudiat, velle obedire Deo in morte, et aliis ordinationibus Dei. Non concupiſcere aliena etc. etſi ciuilia opera efficere ratio poteſt. Ap. p. 64.

Nos non ſolum actus, ſed potentiam ſeu dona efficiendi timorem et fiduciam erga Deum adimere propagatis ſecundum carnalem naturam. Ap. p. 51.

Cf. *Iſtoria theologica delle dottrine e delle opinioni corſe ne cinque primi ſecoli della chieſa in propoſito della diuina grazia, del libero arbitrio e delle predeſtinazione*, (auctore SCIP. MAFFEI) Trident. 1742. fol.

DE PECCATO.
§. XIV.
QVID SIT PECCATVM.

Tranſtulerunt huc ex philoſophia prorſus alienas ſententias: Quod propter paſſiones nec boni nec mali ſimus, nec laudemur, nec vituperemur. Item, *nihil eſſe peccatum, niſi voluntarium.* Hae ſententiae apud Philoſophos de ciuili iudicio dictae ſunt, non de iudicio Dei. Ap. p. 58.

MELANCHTH. *loc. theol.* p. 92. Peccatum eſt defectus, vel inclinatio, vel actio pugnans cum lege Dei, offendens Deum, damnata a Deo, et faciens reos aeternae irae et aeternarum poenarum, niſi ſit facta remiſſio.

§. XV.

§. XV.

DE SIMILITVDINE DEI.

Iustitia Originalis habitura erat non solum aequale temperamentum qualitatum corporis, sed etiam haec dona, notitiam, Dei certiorem, timorem Dei, fiduciam Dei aut certe rectitudinem et vim ista efficiendi. Idque testatur Scriptura, cum inquit, hominem ad imaginem et similitudinem Dei conditum esse. Ap. p. 54.

Sic enim interpretantur similitudinem Dei Irenaeus et Ambrosius. Et Paullus ad Ephesios et Collossenses ostendit, *imaginem Dei*, notitiam Dei esse, iustitiam et veritatem. Nec Longobardus veretur dicere, quod *iustitia originis sit ipsa similitudo Dei*, quae homini indita est a Deo. Ap. p. 54.

§. XVI.

DE PECCATO ORIGINIS.

Docent, quod post lapsum Adae omnes homines secundum naturam propagati, nascuntur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, et cum concupiscentia, quodque hic morbus, seu vitium originis vere sit peccatum, damnans et afferens nunc quoque aeternam mortem, his, qui non renascuntur per Baptismum et Spiritum Sanctum. A. C. II.

Vetus definitio recte intellecta prorsus idem dicit, cum ait: peccatum originis carentiam esse iustitiae originalis. Ap. p. 53.

Cum nominamus concupiscentiam, non tantum actus seu fructus intelligimus, sed perpetuam naturae inclinationem. Ap. p. 51.

Neque vero concupiscentia tantum corruptio qualitatum corporis est: Sed etiam praua conuersio ad carnalia in superioribus viribus. Ap. p. 55.

Supra dictum est, Augustinum definire peccatum originis, quod sit concupiscentia. Expostulent cum Augustino, si quid habet incommodi haec sententia. Praeterea Paullus ait, Concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex diceret: Non concupisces. Item, video, aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captiuantem me legi peccati, quae est in membris meis. Ap. p. 57.

Neque vero tantum concupiscentiam nominauimus, sed diximus etiam deesse timorem Dei et fidem. Id hoc consilio adiecimus. Extenuant peccatum originis et scholastici doctores, non satis intelligentes definitionem peccati originalis, quam acceperunt à patribus. De fomite disputant, quod sit qualitas corporis, et vt suo more sint inepti, quaerunt vtrum qualitas illa, contagione pomi, an ex afflatu serpentis contracta sit. Ap. p. 52.

Volui-

Voluimus significare quod peccatum originis hos quoque morbos contineat, ignorationem Dei, contemtum Dei, vacare metu Dei, et fiducia erga Deum, non posse diligere Deum, *Ap.* p. 53.

Huius peccati *fructus* postea sunt *mala opera* in decalogo prohibita, vt sunt diffidentia, incredulitas, falsa fides, idololatria, sine Dei timore esse etc. *A. Sm.* p. 317.

Credimus – quod sit aliquod discrimen – inter *ipsam naturam* (hominis) quae etiam post lapsum est permanetque dei creatura, et inter *peccatum originis.* F.C Epit. p. 573. Affirmamus, quod hanc naturae corruptionem, ab ipsa natura, nemo, nisi solus Deus separare queat, id quod per mortem in beata illa resurrectione plane fiet. Ibid. p. 575.

De caussis peccati originalis, efficienti, materiali et formali, haec habet MELANCHTHON (*loc. theol.* p. 100 sq): Causae *efficientes* primum lapsum sunt diabolus et voluntas Adae et Euae, assentiens diabolo ac auertens se sua libertate a mandato Dei. Dicuntur autem caussae efficientes, quae merentur aliquid. Sic Adam et Eua sunt causae efficientes; qui sibi et posteris meriti sunt reatum et hos ipsos defectus s. prauitatem, quae lapsum secuta est excussa luce Dei. Postquam enim primi parentes deliquerunt, amiserunt firmam illam notitiam Dei, quae mentibus insita fuerat et rectitudinem voluntatis et conuenientiam cordis cum lege Dei. Et quales ipsi post lapsum erant, tales procrearunt. Vbi est peccatum originis? In anima et in potentiis sentientibus et earum organis etc. Ita loco morbi,

 s. sub-

s. subiecto monstrato, quod vocant *materiam*, in qua propius aspici malum potest. De *formali* eruditis facile est iudicium. — Recte eruditi sciunt vniuersaliter formale peccati esse reatum s. condemnationem personae, quae est rea.

Cf. IO. GE. WALCHII *Historia doctrinae de peccato originis*, in EI. *Miscellan. sacr.* p. 173. sq.

DE LEGE DIVINA.

§. XVII.

DISCRIMEN LEGIS ET EVANGELII.

Vniuersa scriptura in hos duos locos praecipuos distribui debet, in legem et promissiones. Alias enim legem tradit, alias tradit promissionem de Christo, videlicet, cum aut promittit Christum venturum esse et pollicetur propter eum remissionem peccatorum iustificationem et vitam aeternam. Ap. p. 60.

Credimus — discrimen legis et euangelii — singulari diligentia in ecclesia dei retinendum esse. — Quicquid extat in sacris literis quod peccata arguit, id re vera ad legis concionem pertinet. Euangelion vero proprie doctrinam esse censemus, quae doceat, quid homo credere debeat, qui legi dei non satisfecit etc. videlicet, Iesum Chr. omnia peccata expiasse etc. Cum autem vocabulum *euangelii* non semper in vna eademque significatione in S. S. vsurpetur — credimus — si vocabulum *euangelii* de tota Christi doctrina accipiatur — recte dici

ci et doceri, euangelium esse concionem de poenitentia et remissione peccatorum. Quando vero lex et euangelion – Moses – et Christus – inter se conferuntur: credimus – quod euangelion non sit concio poenitentiae, arguens peccata, sed quod proprie nihil aliud sit, quam laetissimum quoddam nuncium et concio plena consolationis etc. Epit. p. 592. 93.

§. XVIII.

QVID SIT LEX.

Vocamus autem *legem* in hac disputatione, decalogi praecepta, vbicunque illa in scripturis leguntur. De ceremoniis et iudicialibus legibus Moysi in praesentia nihil loquimur. Ap. p. 60.

Decalogus autem requirit, non solum externa opera ciuilia, quae ratio vtcunque efficere potest, sed etiam requirit alia longe supra rationem posita, scilicet, vere timere Deum, vere diligere Deum, vere inuocare Deum, vere statuere, quod Deus exaudiat, et expectare auxilium Dei in morte, in omnibus afflictionibus, denique requirit obedientiam erga Deum in morte et omnibus afflictionibus; ne has fugiamus, aut auersemur, cum Deus imponit. Ap. p. 61.

MELANCHTH. *loc. theol.* p. 118. Lex Dei est doctrina a Deo tradita, praecipiens, quales nos esse, et quae facere, quae omittere oportet et requirens perfectam obedientiam erga Deum,

ac

ac pronuncians irasci Deum et punire aeterna morte non praestantes perfectam obedientiam.

Sentimus legem a Deo datam esse, vt peccatum prohiberetur comminationibus et metu poenarum; item promissione et annuntiatione gratiae et beneficiorum. Art Sm. p. 319.

Orta est – controuersia super tertio vsu legis, videlicet, an lex etiam renatis inculcanda et eius obseruatio apud eos vrgenda sit, an non. – Credimus – etsi vere in Chr. credentes et sincere ad Deum conuersi a maledictione legis per Chr. liberati sunt, quod ii tamen propterea *non sint absque lege* et coactione. – Credimus -- concionem legis non modo apud eos, qui fidem in Chr. non habent et poenitentiam nondum agunt, sed etiam apud eos, qui vere in Chr. credunt -- renati et per fidem iustificati sunt, sedulo vrgendam esse. Epit. p. 595.

DE EVANGELIO.

§. XIX.

Euangelium h e promissio, quod gratis propter Christum remittuntur peccata Ap. 82.

MELANCHTH. *loc. th.* p. 191 Euangelium etsi concionatur de poenitentia et de bonis operibus, tamen continet promissionem beneficii Christi, quae est propria et praecipua euangelii doctrina et seiungenda a lege. Gratis enim remittit peccata et pronunciat nos iustos etiamsi legi non satisfacimus. Sciendum est duplices esse promissiones in scripturis diuinis.

uinis. Quaedam sunt additae legi et habent conditionem legis h. e. exhibentur propter impletionem legis. Alia est promissio euangelii propria, quae non habet conditionem legis, tanquam causam h. e., non promittit propter impletam legem, sed *gratis* propter Christum.

DE GRATIA ET IVSTIFICATIONE.

§. XX.

DE IVSTIFICATIONE PER FIDEM.

Docent, quod homines non possint iustificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso, Rom. 3 et 4. A. C. IV.

Si quis cogitabit, Euangelium non esse frustra datum mundo, Christum non esse frustra promissum, exhibitum, natum, passum, resuscitatum, facillime intelliget, nos non ex *ratione* aut *lege* iustificari. Ap. p. 121.

Lex damnat omnes homines, sed Christus quia sine peccato subiit poenam peccati et victima pro nobis factus est, sustulit illud ius legis, ne accuset, ne damnet hos, qui credunt in ipsum, quia ipse est propitiatio pro eis, propter quam nunc iusti reputantur. Ap. p. 93.

Mors

Mors Christi non est solum satisfactio pro culpa, sed etiam pro aeterna morte, iuxta illud: Ero mors tua ô mors. Qquid est igitur monstri, dicere, quod Christi satisfactio redimat culpam. Ap. p. 190.

Sequitur vnicum esse sacrificium Christi, applicatum pro aliorum peccatis. Ap. p. 264.

Confitemur – quod Christus vere sit nostra iustitia, sed tamen neque secundum solam diuinam naturam, neque secundum solam humanam naturam, sed totus Christus, secundum *vtramque* naturam, in *sola*, videlicet, *obedientia* sua, quam patri ad mortem vsque absolutissimam Deus et homo praestitit, eaque nobis peccatorum omnium remissionem et vitam aeternam promeruit. F. C. Epit. p. 584.

Quia igitur non possunt homines viribus suis legem Dei facere, et omnes sunt sub peccato, et rei aeternae irae ac mortis. Ideo non possumus per legem â peccato liberari ac iustificari, sed data est promissio remissionis peccatorum et iustificationis propter Christum, qui datus est pro nobis, vt satisfaceret pro peccatis mundi et positus est mediator ac propitiator. Et haec promissio non habet conditionem meritorum nostrorum, sed gratis offert remissionem peccatorum et iustificationem, sicut Paullus ait: Si ex operibus, iam non est gratia. Et alibi: Iustitia Dei iam manifestatur sine

ſine lege, id eſt, gratis offertur remiſſio peccatorum. Nec pendet reconciliatio ex noſtris meritis. Quod ſi ex noſtris meritis penderet remiſſio peccatorum et reconciliatio eſſet ex lege, eſſet inutilis. Quia enim legem non facimus, ſequeretur etiam promiſſionem reconciliationis nunquam nobis contingere. Sic argumentat Paullus Rom. 4. Ap p. 67.

Cum autem iuſtificatio contingat per gratuitam promiſſionem, ſequitur, quod non poſſimus nos ipſi iuſtificare. Ap. p. 67.

Conſtat, iuſtificationem non ſolum initium renouationis ſignificare, ſed reconciliationem, qua etiam poſtea accepti ſumus Ap. p. 90.

Conſequi remiſſionem peccatorum, eſt iuſtificari, iuxta illud: Beati quorum remiſſae ſunt iniquitates. Ap. p. 73.

Quia iuſtificari ſignificat ex iniuſtis iuſtos effici, ſeu regenerari, ſignificat et iuſtos pronunciari ſeu reputari. Vtroque enim modo loquitur ſcriptura. Ideo primum volumus hoc oſtendere, quod ſola fides ex iniuſto iuſtum efficiat, hoc eſt, accipiat remiſſionem peccatorum. Ap. p. 73.

Iuſtificare hoc loco, forenſi conſuetudine ſignificat reum abſoluere, et pronunciare iuſtum Sed propter alienam iuſtitiam, videlicet Chriſti, quae aliena iuſtitia communicatur nobis

nobis per fidem. Itaque cum hoc loco iustitia nostra sit imputatio alienae iustitiae, aliter hic de iustitia loquendum est, quam cum in Philosophia, aut in foro quaerimus iustitiam proprii operis, quae est in voluntate. Ap. p. 125.

§. XXI.

DE FIDE IVSTIFICANTE

Admonentur etiam homines quod hic nomen fidei non significet tantum historiae notitiam, qualis est in impiis et diabolo, sed significet fidem, quae credit non tantum historiam, sed etiam effectum historiae, videlicet, hunc articulum, Remissionem peccatorum, quod videlicet per Christum habeamus gratiam, iustitiam et remissionem peccatorum. Iam qui scit, se per Christum habere propitium patrem, is vere nouit Deum, scit se ei curae esse, inuocat eum, Denique non est sine Deo sicut gentes. Nam diaboli et impii non possunt hunc articulum credere, Remissionem peccatorum. Ideo Deum tanquam hostem oderunt, non inuocant eum, nihil boni ab eo expectant. A. C. XX.

Illa fides, quae iustificat, non est tantum notitia historiae, sed est assentiri promissioni Dei, in qua gratis propter Christum offertur remissio peccatorum et iustificatio. Et ne quis suspicetur, tantum notitiam esse, addemus amplius, est velle et accipere oblatam promissionem

ſionem remiſſionis peccatorum et iuſtificationis. Ap. p 69.

Quid eſt autem notitia Chriſti, niſi noſſe beneficia Chriſti, promiſſiones, quas per Euangelium ſparſit in mundum? Et haec beneficia noſſe, proprie et vere eſt credere in Chriſtum, credere, quod, quae promiſit Deus propter Chriſtum, certo praeſtet. Ap. p. 79.

Quoties igitur de fide iuſtificante loquimur, ſciendum eſt, haec tria obiecta concurrere, promiſſionem, et quidem gratuitam, et merita Chriſti tanquam pretium et propitiationem. *Promiſſio* accipitur fide; *gratuitum* excludit merita noſtra, et ſignificat tantum per miſericordiam offerri beneficium; *Chriſti merita* ſunt pretium, quia oportet eſſe aliquam certam propitiationem pro peccatis noſtris. Scriptura crebro miſericordiam implorat. Et S. Patres ſaepe dicunt, nos per miſericordiam ſaluari. Ap. p. 69.

Haec fides facit diſcrimen inter hos, quibus contingit ſalus, et illos, quibus non contingit; fides facit diſcrimen inter dignos et indignos, quia vita aeterna promiſſa eſt iuſtificatis, fides autem iuſtificat. Ap. p. 133.

Quia ſola haec fides accipit remiſſionem peccatorum et reddit nos acceptos Deo, et affert ſpiritum ſanctum, rectius vocari gratia gratum faciens poterat, quam effectus ſequens, videlicet dilectio. Ap. p. 82.

§. XXII.

§. XXII.

QVOD SOLA FIDES IN CHRISTVM IVSTIFICET.

Haec igitur fides specialis, qua credit vnusquisque sibi remitti peccata propter Christum et Deum placatum et propitium esse propter Christum, consequitur remissionem peccatorum, et iustificat nos, et quia in poenitentia, hoc est, in terroribus consolatur et erigit corda, regenerat nos et affert spiritum sanctum, vt deinde legem Dei facere possimus. Ap. 68.

Sola fide in Christum, non per dilectionem, non propter dilectionem aut opera, consequimur remissionem peccatorum, etsi dilectio sequitur fidem. Ap. p. 74.

Nos quoque dicimus, quod dilectio fidem sequi debeat, sicut et Paullus ait: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed fides per dilectionem efficax. Ap. p. 81.

Instificatio fit per verbum sicut Paullus inquit: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Item: fides est ex auditu. Et vel hinc argumentum sumi potest, quod fides iustificet, quia si tantum fit iustificatio per verbum, et verbum tantum fide apprehenditur, sequitur quod fides iustificet, sed sunt aliae maiores rationes. Ap. p. 72.

Re-

Remiſſio peccatorum eſt res promiſſa propter Chriſtum. Igitur non poteſt accipi, niſi ſola fide. Rom. 4. Ap. p. 75.

Supra diximus, promiſſionem et fidem correlatiua eſſe nec apprehendi promiſſionem niſi fide: ita hic dicimus promiſſam miſericordiam correlatiue requirere fidem, nec poſſe apprehendi niſi fide. Iure igitur reprehendimus doctrinam de merito indigni, cum nihil de fide iuſtificante tradat et obſcuret gloriam et officium mediatoris Chriſti. Ap. p. 129.

Quia iuſtitia Chriſti donatur nobis per fidem, ideo fides eſt iuſtitia in nobis, imputatiue, id eſt, eſt id, quo efficimur accepti Deo, propter imputationem et ordinationem Dei. Ap. p. 125.

Fides non ideo iuſtificat aut ſaluat, quia ipſa ſit opus per ſeſe dignum, ſed tantum quia accipit miſericordiam promiſſam. Ap. p. 70.

Excludimus autem opinionem meriti. Non excludimus verbum aut Sacramenta, vt calumniantur aduerſarii. Diximus enim ſupra, fidem ex verbo concipi. Ac multo maxime ornamus miniſterium verbi. Dilectio etiam et opera ſequi fidem debent, quare non ſic excluduntur, ne ſequantur, ſed fiducia meriti dilectionis aut operum in iuſtificatione excluditur. Ap. p. 73.

§. XXIII.

§. XXIII.

QVOD OPERIBVS NOSTRIS NON IVSTIFICEMVR.

Principio, quod opera noſtra non poſſint reconciliare Deum, aut mereri remiſſionem peccatorum,, et gratiam et iuſtificationem, ſed hanc tantum fide conſequimur, credentes quod propter Chriſtum recipiamur in gratiam, qui ſolus poſitus eſt mediator. A. C. XX.

Credimus – quod bona opera penitus excludenda ſint, non tantum quum de iuſtificatione fidei agitur, ſed etiam quum de ſalute noſtra aeterna diſputatur. Epit. p. 589.

DE DISCRIMINE PECCATORVM, MORTALIS ET VENIALIS.

MELANCHTH. *loc. th.* p. 322. Peccatum mortale in genere eſt defectus, vel inclinatio, vel actio contra legem Dei, offendens Deum, non remiſſa, ſed iam iram Dei et aeternas poenas promerens. Sunt igitur in *non renatis* peccata mortalia ipſe morbus originis, et omnes vitioſi affectus et omnes prauae actiones. — P. 324. Sed de *renatis* neceſſe eſt quaeri, quae habeant peccata venialia et qui eorum lapſus dicantur mortalia peccata. Quanquam igitur renati, in quibus accenſa agnitio eſt Chriſti, fides et vera inuocatio et inchoata eſt obedientia, ſunt iuſti, placent Deo; tamen in iis adhuc in hac vita manet ingens infirmitas, videlicet caligo in mente de Deo et voluntatis ac cordis praua inclinatio, et multi vitioſi affectus; incurrunt in animum prauae dubitationes de Deo etc. virtutes omnes multo

multo languidiores ſunt, quam eſſe debebant, interim nos ipſos pluris facimus, quam oportuit, et alimus in nobis ſuperbiam et fiduciam noſtri et hac ſuperbia et fiducia noſtri mouemus interdum incaute non mouenda etc. incenduntur ſancti ſaepe iniuſtis odiis, flammis iracundiae et libidinum, quibus tamen repugnant. Sunt item ignorantiae et omiſſionis peccata plurima in ſanctis etc. Haec mala in renatis ſunt contra legem Dei — ſed quia perſona accepta eſt — et aliquo modo infirmitatem agnoſcit et deplorat — et petit condonationem et repugnat primis incendiis, fiunt huic perſonae haec mala *venialia* peccata i. e. condonata, ita vt non excutiant ſpiritum ſ. et fidem ac maneat perſona in gratia. Rom. 8. p. 328. Cum hi, qui fuerunt renati, ſcientes et volentes violant legem Dei, vt cum amplectuntur impias opiniones, aut ſtabiliunt eas ſua approbatione, aut indulgent odiis, ambitioni, flammis libidinum, auaritiae aut externis factis ruunt contra legem Dei, vt Dauid rapiens alienam coniugem et aſtute maritum interficiens, hae actiones contra conſcientiam ſunt *peccata mortalia*, quae admittens, amittit gratiam, fidem et ſpiritum ſ. et acceſſit ſibi iram Dei, ac niſi rurſus ad Deum conuertatur, abiicitur in aeternas poenas et quia conſcientia retinens propoſitum peccandi, contemnit aut fugit Deum, non poteſt Deum inuocare.

Cum autem de tali fide loquamur, quae non eſt otioſa cogitatio, ſed quae â morte liberat, et nouam vitam in cordibus parit, et eſt opus ſpiritus ſancti, non ſtat cum *peccato mortali*, ſed tantisper, dum adeſt, bonos fructus parit, vt poſtea dicemus. Ap. p. 71.

§. XXIV.

§. XXIV.

DEFINITIO GRATIAE.

MELANCHTH. *loc. theol.* p. 222. Gratia eſt remiſſio peccatorum, ſeu miſericordia propter Chriſtum promiſſa, ſeu acceptatio gratuita, quam neceſſario comitatur donatio ſpiritus ſancti.

Cf. *Theologiae Graecorum Patrum vindicatae circa vniuerſam materiam gratiae libri III.* ISAACI HABERTI. Pariſ. 1646. f.

DE BONIS OPERIBVS.

§. XXV.

QVOD BONA OPERA FACIENDA SINT.

Docent, quod fides illa *debeat* bonos fructus parere, et quod *oporteat bona opera*, mandata a Deo, *facere*, propter voluntatem Dei, non vt confidamus per ea opera iuſtificationem coram Deo mereri. A. C. VI.

Sunt enim facienda opera, propter mandatum Dei, item ad exercendam fidem, item propter confeſſionem et gratiarum actionem. Ap. p. 95.

Docemus bona opera meritoria eſſe, non remiſſionis peccatorum, gratiae, aut iuſtificationis. (Haec enim tantum fide conſequimur) ſed aliorum proemiorum corporalium et ſpiritualium, in hac vita et poſt hanc vitam. Ap. p. 96.

§. XXVI.

§. XXVI.

DE IVSTITIA RATIONIS.

Nos autem de iustitia rationis sic sentimus, quod Deus requirat eam, et quod propter mandatum Dei necessario sint facienda honesta opera, quae decalogus praecipit, iuxta illud: Lex est paedagogus. Item: lex est iniustis posita. Vult enim Deus coerceri carnales illa ciuili displina, et ad hanc conseruandam dedit leges, literas, doctrinam, magistratus, poenas. Et potest hanc iustitiam vtcunque ratio suis viribus efficere, quanquam saepe vincitur imbecillitate naturali, et impellente diabolo ad manifesta flagitia. Quanquam autem huic iustitiae rationis libenter tribuimus suas laudes. Nullum enim maius bonum habet haec natura corrupta. Et recte inquit Aristoteles, neque Hesperum, neque Luciferum formosiorem esse iustitia. Ac Deus etiam ornat eam corporalibus proemiis: tamen non debet cum contumelia Christi laudari. Ap. p. 64.

Falsum est, quod homines reputentur esse iusti coram Deo propter iustitiam rationis. Ap. p. 64.

§. XXVII.

QVOD BONA OPERA SINE SPIRITV S. ET FIDE FIERI NEQVEANT.

Sine fide, nullo modo potest humana natura primi aut secundi praecepti opera facere.

Sine fide non inuocat Deum, a Deo nihil expectat, non tolerat crucem, sed quaerit humana praesidia, confidit humanis praesidiis. Ita regnant in corde omnes cupiditates et humana consilia, cum abest fides et fiducia erga Deum. Quare et Christus dixit: Sine me nihil potestis facere, Ioan. 10, 5. et ecclesia canit: sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium. A. C. XX.

Nec legem prius facimus, aut facere possumus, quam reconciliati Deo, iustificati et renati sumus. Ap. p. 138.

Affectus cordis erga Deum, qui praecipiuntur in prima tabula, non posse fieri sine Spiritu Sancto. Ap. p. 84.

Cum ait Paullus, legem stabiliri per fidem, non solum hoc intelligi oportet, quod fide renati concipiant Spiritum Sanctum et habeant motus consentientes legi Dei, sed multo maxime refert et hoc addere, quod sentire nos oportet, quod procul à perfectione legis absimus. Ap. p. 92.

Profitemur, quod necesse sit inchoari in nobis, et subinde magis magisque fieri legem. Et complectimur simul vtrumque, videlicet spirituales motus et externa bona opera. Ap. p. 85.

Tota Scriptura, tota Ecclesia clamat, legi non satis fieri. Non igitur placet illa inchoata

choata legis impletio propter feipfam, fed propter fidem in Chriftum. Alioqui lex femper accufat nos, quis enim fatis diligit, aut fatis timet Deum? Quis fatis patienter fuftinet afflictiones â Deo impofitas? Quis non faepe dubitat, vtrum Dei confilio an cafu regantur res humanae? Quis non faepe dubitat, vtrum â Deo exaudiatur? Ap. p. 91.

Velamen intelligit Paullus humanam opinionem de tota lege, Decalogo et ceremoniis, videlicet quod hypocritae putant et externa et ciuilia opera fatisfacere legi Dei et facrificia et cultus ex opere operato iuftificare coram Deo. Tunc autem detrahitur nobis hoc velamen, hoc eft, eximitur hic error, quando Deus oftendit cordibus noftris immunditiam noftram et magnitudinem peccati. Ap. p. 85.

Falfum eft et contumeliofum in Chriftum, quod non peccent homines *facientes praecepta Dei fine gratia*. Huius noftrae fententiae teftimonia habemus, non folum ex fcripturis, fed etiam ex Patribus. Ap. p. 64.

Cum igitur haereant in natura hominis contemtus Dei, dubitatio de verbo Dei, de minis et promiffionibus, vere peccant homines, etiam cum *honefta opera faciunt fine fpiritu Sancto*, quia faciunt ea impio corde, iuxta ilind: quicquid non eft ex fide, peccatum eft, tales enim operantur cum contemtu Dei, ficut Epicurus non fentit fe Deo curae

esse, respici, aut exaudiri a Deo. Hic conetmtus vitiat opera in speciem honesta, quia Deus iudicat corda. Ap. p. 66.

§. XXVIII.

DE VOTIS.

Ergo etiam qui votis iustificari volunt, euacuantur à Christo, et â gratia excidunt. Nam et hic, qui votis tribuunt iustificationem, tribuunt propriis operibus hoc, quod proprie ad gloriam Christi pertinet. Neque vero negari potest, quin Monachi docuerint, se per vota et obseruationes suas iustificari et mereri remissionem peccatorum, immo affinxerunt absurdiora, dixerunt se aliis mutuari sua opera. A. C. VI Abus.

DE ECCLESIA.

§. XXIX.

QVID SIT ECCLESIA, ITEM, QVID REQVIRATVR AD VNITATEM ECCLESIAE.

Est autem *Ecclesia* congregatio sanctorum, in qua Euangelium recte docetur et recte administrantur Sacramenta.

MELANCHTH *loc. th.* p. 338. Ecclesia *visibilis* est coetus amplectentium euangelium Christi et recte vtentium sacramentis, in quo Deus per ministerium euangelii est efficax, et multos ad vitam aeternam regenerat in quo coetu

tamen

tamen multi ſunt non renati, ſed de vera doctrina conſentientes. — Aliqui erant non renati, habentes delicta contra conſcientiam, qui tamen quia de vera doctrina conſentiebant, erant ciues et membra eccleſiae in hac vita. His (prophetis) admixti erant aliqui, quorum mores culpandi erant, qui tamen, quia de vera doctrina conſentiebant, erant membra eccleſiae in externa ſocietate et functione miniſterii. Interim vero ſacerdotes Baal, et ſimiles, qui defendebant impios cultus, non erant membra eccleſiae.

De eccleſia electorum (inuiſibili) Vid. locum XIV.

Ad veram vnitatem eccleſiae, ſatis eſt conſentire de doctrina Euangelii et adminiſtratione Sacramentorum. Nec neceſſe eſt vbique eſſe ſimiles traditiones humanas, ſeu ritus aut ceremonias ab hominibus inſtitutas. Sicut inquit Paullus, Vna fides, vnum baptisma, vnus Deus et pater omnium. A. C. VII.

Quare nos iuxta Scripturas ſentimus, Eccleſiam proprie dictam eſſe congregationem ſanctorum, qui vere credunt Euangelio Chriſti, et habent Spiritum ſanctum. Ap. p. 150.

Eccleſia – *Chriſtianorum* communio ſ. congregatio, aut omnium optime et clariſſime ſancta Chriſtianitas dicenda fuerat. Itaque quoque haec diſtinctiuncula *communio* non Gemeinſchaft ſed Gemeine interpretanda fuerat, — interpretandi gratia priori adiecta eſt, qua quispiam haud dubie exponere voluit, quid Chriſtianorum eſſet eccleſia. – Sanctorum communu-

munio h. e. eiusmodi communio, in qua non nisi sancti versantur – h. e. sancta communio. Haec ideo dico, vt verba sane et recte intelligantur, cum haec consuetudo vsque adeo vsu recepta inueterauerit, vt vix vnquam ex hominum animis euelli possit, et statim *haeresin* esse oporteat, *vbi verbulum aliquod immutatum fuerit.* Catech. Mai. p. 499.

At Ecclesia, non est tantum societas externarum rerum ac rituum, sicut aliae politiae. Sed principaliter est societas fidei et spiritus sancti, in cordibus, quae tamen habet externas notas, vt agnosci possit, videlicet puram Euangelii doctrinam, et administrationem Sacramentorum consentaneam Euangelio Christi. Et haec Ecclesia sola dicitur corpus Christi, quo Christus spiritu suo renouat, sanctificat et gubernat, vt testatur Paullus Eph. I. cum ait: Et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus eius, videlicet, integritas, id est tota congregatio ipsius, qui omnia in omnibus perficit. Quare illi, in quibus nihil agit Christus, non sunt membra Christi. Idque fatentur aduersarii, malos esse mortua membra Ecclesiae. Quare miramur, cur reprehenderint nostram descriptionem, quae de viuis membris loquitur. Ap. p. 145.

Constanter affirmamus, aliter sentientes, extra Ecclesiam Christi, et Idololatras esse et Deum contumelia afficere. Ap. p. 50.

Con-

Concedimus enim, quod hypocritae et mali in hac vita ſunt admixti Eccleſiae et ſint membra Eccleſiae ſecundum externam ſocietatem ſignorum Eccleſiae h e. verbi, profeſſionis et ſacramentorum, praeſertim ſi non ſint excommunicati. Ap. p. 144.

Cf. *Selecta capita doctrinae de eccleſia praeſenti tempori accommodata atque edita a* MAGNO FRID. ROOS. Tubing. 1784. 8. et HENR. PHIL. CONR. HENKII *hiſtoria antiquior dogmatis de vnitate eccleſiae.* Helmſt. 1781. 4.

§. XXX.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Vt hanc fidem conſequamur, inſtitutum eſt miniſterium docendi Euangelii et porrigendi Sacramenta. Nam per verbum et Sacramenta, tanquam per inſtrumenta donatur Spiritus ſanctus, qui fidem efficit, vbi et quando viſum eſt Deo, in iis, qui audiunt Euangelium, ſcilicet, quod Deus non propter noſtra merita, ſed propter Chriſtum iuſtificet, hos qui credunt, ſe propter Chriſtum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptiſtas et alios, qui ſentiunt Spiritum ſanctum contingere ſine verbo externo hominibus per ipſorum praeparationes et opera. A. C. V.

De ordine Eccleſiaſtico docent, quod nemo debeat in Eccleſia publice docere, aut

Sacra-

Sacramenta adminiſtrare, niſi rité vocatus. A. C. XIV.

§. XXXI.

DE POTESTATE EPISCOPORVM.

Sic autem ſentiunt, *poteſtatem clauium* ſeu *poteſtatem Epiſcoporum*, iuxta Euangelium, poteſtatem eſſe ſeu mandatum Dei, praedicandi Euangelii, remittendi et retinendi peccata, et adminiſtrandi Sacramenta. Nam cum hoc mandato Chriſtus mittit Apoſtolos: Sicut miſit me pater, ita et ego mitto vos, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeeritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis peccata, retenta ſunt. Marc. 16. Ite, praedicate Euangelium omni creaturae etc. A. C. VII. Abus.

Claues ſunt officium et poteſtas eccleſiae a Chriſto data, ad ligandum et ſoluendum peccata non tantum enormia et manifeſta, ſed etiam ſubtilia, ſoli Deo nota. Art. Smalc. p. 330.

Maiorem illam excommunicationem -- non niſi poenam ciuilem eſſe ducimus, non pertinentem ad nos miniſtros eccleſiae. Minor autem -- vera et Chriſtiana eſt excommunicatio, quae manifeſtos et obſtinatos peccatores non admittit ad ſacramentum et communionem eccleſiae, donec emendentur. Art. Smalc. p. 333.

Si

Si quam habent Episcopi potestatem gladii, hanc non habent Episcopi ex mandato Euangelii, sed iure humano donatam â regibus et imperatoribus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum Haec interim alia functio est, quam ministerium Euangelii. Cum igitur de iurisdictione Episcoporum quaeritur, discerni debet *imperium* ab *Ecclesiastica iurisdictione.* Porro *secundum Euangelium*, seu vt loquuntur, de iure diuino, nulla iurisdictio competit Episcopis, vt Episcopis. Item *cognoscere doctrinam* et doctrinam ab Euangelio dissentientem reiicere, et impios, quorum nota est impietas, excludere â communione Ecclesiae, sine vi humana, sed verbo. A. C. VII. Abus.

Si quam habent aliam vel potestatem, vel iurisdictionem in cognoscendis certis caussis videlicet matrimonii, aut decimarum et hanc habent *humano iure.* Vbi cessantibus ordinariis coguntur principes vel inuiti, suis subditis ius dicere, vt pax retineatur. A. C. VII. Abus.

Vberius haec persequitur, *de potestate et primatu* papae tractatus, Articulis Smalcaldicis adiunctus.

Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratuum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat iudicia de vllis ciuilibus ordi-

ordinationibus aut contractibus, non praescribat leges magistratibus de forma reipublicae, sicut dicit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. A. C. VII. Abus.

Quod Papa non sit iure diuino, seu secundum verbum Dei caput totius Christianitatis (hoc enim nomen vni et soli Iesu Christo debetur) Sed tantum Episcopus et pastor Ecclesiae, quae et Romae, et eorum, qui voluntarie et sponte vel per humanam creaturam id est, politicum magistratum, se ad eum conferunt, non vt sub ipso, tanquam sub Domino viuant, sed vt cum eo tanquam fratres, collegae, sodales et Christiani sint, quemadmodum hoc ipsum vetera concilia et aetas Cypriani ostendunt. Art. Smalc.. p. 312.

DE SACRAMENTIS.

§. XXXII.

QVID SIT SACRAMENTVM.

De vsu Sacramentorum docent quod Sacramenta instituta sint, non modo vt sint *notae professionis inter homines*, sed magis vt sint *signa et testimonia voluntatis Dei erga nos*, ad excitandam et confirmandam fidem in his, qui voluntur, proposita. Itaque vtendum est Sacramentis, ita vt fides accedat, quae credat promissionibus, quae per Sacramenta exhibentur et ostenduntur.

Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato iustificent, nec docent

docent fidem requiri in vſu Sacramentorum, quae credat remitti peccata. A. C. XIII.

MELANCHTH. *loc. th.* p. 360. ſq. Sacramentum nunc quidem, vt in eccleſia loquimur, vocatur caerimonia in euangelio inſtituta, vt ſit teſtimonium promiſſionis, quae eſt euangelii propria, videlicet promiſſae reconciliationis ſ gratiae. Homines profani cogitant ſacramenta eſſe ſigna profeſſionis, quae diſcernant a caeteris hominibus nos, qui quaſi huic foederi adiuncti ſumus, vt diſcernebat Romanum toga ab aliarum nationum hominibus. Vt enim quondam in foederibus faciendis mos erat, vna veſci ex ſacrificatis rebus ita nunc multi humano more exiſtimant coenam Domini tantum eſſe talem notam mutui foederis inter homines. Sed quanquam multi ſunt fines ſacramentorum ordinati, tamen longe omnibus anteferendus eſt hic principalis finis, quod ſint ſigna voluntatis Dei erga nos, videlicet teſtimonia addita promiſſioni gratiae ac intueamur totum eccleſiam, in qua ſtatim poſt lapſum Adae, edita promiſſione gratiae, additae ſunt caerimoniae, videlicet, *ſacrificia* Adae, quae incendebantur de coelo, offerebatur agnus etc. Deinde cum renouaretur promiſſio, additum eſt nouum teſtimonium, ſcil. *circumciſio*.

Sacramenta enim ſunt ſigna noui teſtamenti, hoc eſt, ſigna remiſſionis peccatorum. Offerunt igitur remiſſionem peccatorum, ſicut clare teſtantur verba coenae domini: Hoc eſt corpus meus, quod pro vobis traditur. Hic eſt calix noui Teſtamenti etc. A. p. 167.

Sa-

Sacramentum eſt ceremonia vel opus, in quo Deus nobis exhibet hoc, quod offert annexa ceremoniae promiſſio, vt Baptismus eſt opus, non quod nos Deo offerimus, ſed in quo Deus nos baptizat, videlicet, miniſter vice Dei, et hic offert et exhibet Deus remiſſionem peccatorum etc. iuxta promiſſionem: Qui crediderit et baptizatus fuerit, ſaluus erit. Ap. p. 253.

Sacramenta ſunt ſigna voluntatis Dei erga nos, non tantum ſigna ſunt hominum inter ſeſe. Et recte definiunt ſacramenta in nouo Teſtamento eſſe ſigna gratiae. Et quia in Sacramento duo ſunt, Signum et Verbum: Verbum in nouo Teſtamento eſt promiſſio gratiae addita, Promiſſio noui Teſtamenti eſt promiſſio remiſſionis peccatorum. Ap. p. 267.

Fingunt ipſum ſacramentum ex opere operato conferre gratiam *ſine bono motu* vtentis. Ap. p. 163.

Sacramenta et verbum propter ordinationem et mandatum Chriſti ſunt efficacia, etiamſi per malos exhibeantur.

Damnant Donatiſtas et ſimiles, qui negabant licere vti miniſterio malorum in Eccleſia et ſentiebant miniſterium malorum inutile et inefficax eſſe. A. C. VIII.

Cf. IO. DALLAEI *de cultibus religioſis Latinorum libri IX*, Geneuae 1671. 4.

DE

DE NVMERO SACRAMENTORVM.

Nec multum referre putamus, etiamsi docendi causa alii numerant aliter, si tamen recte conseruent res in Scriptura traditas. Nec veteres eodem modo numerauerunt. Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, et quibus addita est promissio gratiae, facile est iudicare, quae sint proprie Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti non erant hoc modo proprie dicta Sacramenta. Non est enim auctoritatis humanae, promittere gratiam. Quare signa sine mandato Dei instituta, non sunt cetera signa gratiae, etiamsi fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. Verè igitur sunt sacramenta, Baptismus, Coena Domini, Absolutio, quae est sacramentum poenitentiae. Nam hi ritus habent mandatum Dei et promissionem, quae est propria Noui Testamenti. Ap. p. 200.

§. XXXIII.

DE BAPTISMO.

De Baptismo docent, quod sit necessarius ad salutem, quodque per Baptismum offeratur gratia Dei, Et quod pueri sint baptizandi, qui per Baptismum oblati Deo recipiantur, in gratiam Dei.

Damnant Anabaptistas, qui improbant Baptismum puerorum, et affirmant pueros sine Baptismo saluos fieri. A. C. IX.

Lu-

Lutherus semper ita scripsit, quod Baptismus tollat reatum peccati originalis, etiamsi materiale, vt isti vocant, peccati maneat, videlicet concupiscentia. Addidit etiam de materiali, quod spiritus sanctus datus per Baptismum, incipit mortificare concupiscentiam, et nouos motus creat in homine. Ad eundem modum loquitur et Augustinus, qui ait: Peccatum in Baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur. Ap. p. 56.

Baptismus nihil est aliud, quam verbum dei cum mersione in aquam, secundum ipsius institutionem et mandatum, siue, vt Paulus inquit: lauacrum in verbo; sicut et Augustinus ait: Accedat verbum ad elementum et fit sacramentum. Art. Sm. p. 329.

Baptismus operatur remissionem peccatorum, liberat a morte, et a diabolo, et donat aeternam beatitudinem omnibus et singulis, qui credunt hoc, quod verba promissionis diuinae pollicentur. Cat. Min. p. 376.

Aqua certe tantas res non efficit, sed verbum dei, quod in et cum aqua est, et fides, quae verbo dei, aquae addito, credit. Ibid. p. 377.

Certissimum est, quod promissio salutis pertinet etiam ad paruulos. Neque vero pertinet ad illos, qui sunt extra Ecclesiam Christi, vbi nec verbum, nec sacramenta sunt, quia regnum Christi tantum cum verbo et sacramentis existit. Igitur necesse est baptizare paruulos,

los, vt applicetur eis promissio salutis, iuxta mandatum Christi: Baptizate omnes gentes. Ap. p. 156.

Cf. GER. IO. VOSSII *de baptismo disputationes XX.* Amst. 1648. 4. — GVIL. WALLI *historia baptismi infantum . . . ex angl. latine vertit . . . obss. et vindiciis auxit.* IO. LVD. SCHLOSSER. Brem. 1748. 53. II. 4. — *Ausführliche Historie vom Exorcismo bey der Kindertaufe* . . . . IO. MELCH. KRAFT. Hamb. 1754. 8.

§. XXXIV.

DE SACRA COENA.

De Coena Domini docent, quod corpus et sanguis Christi verè adsint et distribuantur vescentibus in coena Domini et improbant secus docentes. A. C. X.

Credimus – quod in coena Domini corpus et sanguis Christi vere et *substantialiter* sint praesentia, et quod vna cum pane et vino vere distribuantur atque sumantur. Credimus – verba testamenti Chr. non aliter accipienda esse, quam sicut verba ipsa ad literam sonant: ita, *ne* panis, *absens* Christi corpus, et vinum, absentem Chr. sanguinem *significent*, sed vt propter sacramentalem vnionem, panis et vinum vere sint corpus et sanguis Christi. Epit. p. 599.

Credimus – quod non tantum vere in Chr. credentes et qui digne ad coenam Domini ac-

accedunt, verum etiam indigni et infideles *verum* corpus et sanguinem Chr. sumant. Credimus – totam dignitatem conuiuarum coelestis huius coenae in sola sacratissima obedientia et absolutissimo Christi merito consistere. *Illud* autem nobis vera fide applicamus, et de applicatione huius meriti per sacramentum certi reddimur. Epit. p. 600.601.

Quidam belli homines fingunt, coenam Domini institutam esse propter duas caussas. Primum, vt sit nota et testimonium professionis, sicut certa forma cuculli est signum certae professionis. Deinde cogitant, praecipue talem notam Christo placuisse, videlicet conuiuium, vt significaret mutuam inter Christianos coniunctionem atque amicitiam, quia symposia sunt signa foederum et amicitiae. Sed haec opinio est ciuilis, nec ostendit praecipuum vsum rerum â Deo traditarum. Tantum de caritate exercenda loquitur, quam homines prophani et ciuiles vtcunque intelligunt, de fide non loquitur. Ap. p. 267.

Sic in ecclesia instituta est coena domini, vt recordatione promissionum Christi, quarum in hoc signo admonemur, confirmetur in nobis fides, et foris confiteamur fidem nostram et praedicemus beneficia Christi. Ap. p. 99.

Cf. *Histoire memorable et interessante de l' Eucharistie par* M. LARROQVE. Amst. 1737. 8. b. ERNESTII *Antimuratorius*, Lips. 1755. 8. — *De eucharistiae sacramento libri III. authore*

thore EDMVNDO ALBERTINO. Daventr. 1654. f. *Eclairciſſemens familiers de la controverſe de l' Euchariſtie, per* DAV. BLONDEL. Quevilly 1641. 8.

§. XXXV.

DE MISSA.

Falſo accuſantur eccleſiae noſtrae, quod Miſſam aboleant, retinetur enim Miſſa apud nos et ſumma reuerentia celebratur. Seruantur et vſitatae ceremoniae fere omnes, praeterquam quod Latinis cantationibus admiſcentur alicubi Germanicae quae additae ſunt ad docendum populum. Nam ad hoc vnum opus eſt ceremoniis, vt doceant imperitos. A. C. III.

Aſſuſit populus, vt vna vtantur ſacramento, ſi qui ſunt idonei, id quoque auget reuerentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, niſi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate et vſu Sacramenti, quantamque conſolationem afferat pauidis conſcientiis, vt diſcant Deo credere, et omnia bona â Deo expectare et petere. Hic cultus delectat Deum, talis vſus Sacramenti alit pietatem erga Deum. A. C. III.

Deſierunt apud nos priuatae Miſſae, cum fere nullae priuatae Miſſae niſi quaeſtus cauſa fierent. A. C. III. Abus.

Neque hic mos in Ecclesia nouus est; nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem priuatae Missae. De communi Missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait: Sacerdotem quotidie stare ad altare, et alios ad communionem accersere, alios arcere Et ex canonibus veteribus apparet, vnum aliquem celebrasse Missam, â quo reliqui presbyteri et Diaconi sumserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Niceni, Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo vel â presbytero sacram communionem. Et Paullus de communione iubet, vt alii alios expectent, vt fiat communis participatio. A. C. III. Abus.

Accessit opinio, quae auxit priuatas Missas in infinitum, videlicet, quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, et instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus et venialibus. Hinc manauit publica opinio, quod Missa sit opus delens peccata viuorum et mortuorum ex opere operato. Hic coeptum est disputari, vtrum vna Missa dicta pro pluribus, tantundem valeat, quantum singulae pro singulis. Haec disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum. De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant â Scripturis sanctis et laedant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio et satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro

omni-

omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebraeos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item: Vna oblatione consummauit in perpetuum sanctificatos.

Item, Scriptura docet, Nos coram Deo iustificari per fidem in Christum, cum credimus, nobis remitti peccata propter Christum. Iam si Missa delet peccata viuorum et mortuorum ex opere operato, contingit iustificatio ex opere Missarum, non ex fide, quod Scriptura non patitur

Sed Christus iubet facere in sui memoriam, quare Missa instituta est, vt fides in iis, qui vtuntur Sacramento, recordetur, quae beneficia accipiat per Christum, et erigat et consoletur pauidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quod vere exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Iudaei et impii recordari possunt. A. C. III. Abus.

Cf. *Simplicii Verini* (i. e. CLAVDII SAL. MASII) *de transsubstantiatione liber* Ed 2. Lud. B. 1669. 8. *Historia concertationis Graecorum Latinorumque de transsubstantiatione* - - - *auctore* IO. RVD. KIESLING Lips. 1754. 8. *De adoratione Eucharistiae libri II. auctore* IAC. BOILEAV. Paris 1685. 8.

Quod si quis fucum facere et praetendere vellet, se ex deuotione sibi ipsi communionem exhibere velle, is longe erraret, nec serio

rio et ex animo loqueretur. Communio enim vera et certa eſt in Sacramento, quae fit ſecundum inſtitutionem Chriſti. Seipſum autem communicare, humana perſuaſio eſt, incerta et non neceſſaria, immo prohibita. Neſcit enim ille, quid faciat, cum absque verbo Dei, opinioni et figmento humano obſequatur. Non etiam recte facit is (etiamſi res alioqui plana eſſet) qui ſacramentum proprium Eccleſiae, extra Eccleſiae communionem, ſine verbo Dei, ex propria quadam deuotione et affectione vſurpare vult. Art. Smalcald. II. p. 306.

§. XXXVI.

DE VTRAQVE SPECIE.

Laicis datur vtraque Species ſacramenti in Coena Domini, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. 26. Bibite ex hoc omnes. Vbi manifeſte praecepit Chriſtus de poculo, vt omnes bibant, et nequis poſſit cauillari, quod hoc ad ſacerdotes tantum pertineat, Paullus ad Corinth. exemplum recitat, in quo apparet totam Eccleſiam vtraque ſpecie vſam eſſe. Et diu manſit hic mos in Eccleſia, nec conſtat, quando aut quo autore mutatus ſit, tametſi Cardinalis Cuſanus recitet, quando ſit approbatus. Cyprianus aliquot locis teſtatur, populo ſanguinem datum eſſe. Idem teſtatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Euchariſtiae miniſtrant, et ſanguinem Chriſti populis diuidat. Imo Gelaſius Papa mandat, ne diuidatur Sacramentum.

Et

Et quia diuiſio Sacramenti non conuenit cum inſtitutione Chriſti, ſolet apud nos omitti proceſſio, quae hactenus fieri ſolita eſt. A. C. I. Abus.

Chriſtus enim inſtituit vtramque partem, et inſtituit, non pro parte Eccleſiae, ſed pro tota Eccleſia. Nam non presbyteri ſolum, ſed tota Eccleſia auctoritate Chriſti, non auctoritate humana vtitur Sacramento. Ap. p. 233.

§. XXXVII.

DE POENITENTIA.

De poenitentia docent, quod lapſis poſt Baptismum contingere poſſit remiſſio peccatorum quocunque tempore, cum conuertuntur. Et quod Eccleſia talibus redeuntibus ad poenitentiam abſolutionem impertiri debeat.

Conſtat autem poenitentia proprie his duabus partibus, Altera eſt, contritio ſeu terrores incuſſi conſcientiae agnito peccato. Altera eſt, fides, quae concipitur ex Euangelio ſeu abſolutione, et credit propter Chriſtum remitti peccata et conſolatur conſcientiam, et ex terroribus liberat. Deinde ſequi debent, bona opera, quae ſunt fructus poenitentiae. Damnant Anabaptiſtas, qui negant ſemel iuſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum. Item, qui contendunt quibusdam tantam perfectionem in hac vita contingere, vt peccare non poſſint. Damnantur et Nouatiani, qui nolebant abſol-

uere

uere lapſos poſt Baptiſmum redeuntes ad poenitentiam. Reiiciuntur et iſti, qui non docent remiſſionem peccatorum per fidem contingere, ſed iubent nos mereri gratiam per ſatisfactiones noſtras. A. C. XII.

Nos dicimus, quod poenitentiam, hoc eſt, conuerſionem ſeu regenerationem, boni fructus, bona opera in omni vita ſequi debeant. Nec poteſt eſſe vera conuerſio, aut vera contritio, vbi non ſequuntur mortificationes carnis et boni fructus. Ap. p. 188.

Dicimus, contritionem eſſe veros terrores conſcientiae, quae Deum ſentit iraſci peccato, et dolet ſe peccaſſe. Ap. p. 165.

Mortificatio ſignificat veros terrores, quales ſunt morientium, quos ſuſtinere natura non poſſet, niſi erigeretur fide. Ita hic expoliationem corporis peccatorum vocat, quam nos dicimus vſitate *contritionem*, quia in illis doloribus concupiſcentia naturalis expurgatur. Et viuificatio intelligi debet, non imaginatio Platonica, ſed conſolatio, quae veré ſuſtentat fugientem vitam in contritione. Sunt ergo hic duae partes, *contritio et fides*. Quia enim conſcientia non poteſt reddi peccata, niſi fide. Ideo ſola fides viuificat. Ap. p. 169.

Cf. IOH. MORINI Tr. *de contritione et attritione* in ei. *opp. poſth.* Pariſ. 1703. 4.

Re-

Redimuntur autem peccata per poenitentiam, id eſt, obligatio ſeu reatus tollitur, quia Deus ignoſcit agentibus poenitentiam. Ap. p. 102.

Cf. *La tradition de l'egliſe ſur le ſujet de la penitence et de la communion* — par ANT. ARNAVLD. Ed. 5. Paris 1700. 8. IOH' DALLAEI *de poenis et ſatisfactionibus humanis libri VII.* Amſt. 1649. 4.

§. XXXVIII.

DE CONFESSIONE.

Confeſſio in Eccleſiis apud nos non eſt abolita. Non enim ſolet porrigi corpus Domini, niſi antea exploratis et abſolutis. A. C. IV. Abus.

De Confeſſione docent, quod abſolutio priuata in Eccleſiis retinenda ſit, quanquam in confeſſione non ſit neceſſaria omnium delictorum enumeratio. Eſt enim impoſſibilis iuxta Pſalmum, Delicta quis intelligit? A. C. XI.

Talis confeſſio peccati, quae Deo fit, eſt ipſa contritio. Nam cum Deo fit confeſſio, corde fieri neceſſe eſt, non ſolum voce, ſicut fit in ſcenis ab hiſtrionibus. Eſt igitur talis confeſſio, contritio, in qua ſentientes iram Dei, confitemur Deum iuſte iraſci, nec placari poſſe noſtris operibus. Et tamen quaerimus miſericordiam, propter promiſſionem Dei. Ap. p. 182.

Sed

Sed de Confeſſione docent, quod enumeratio delictorum non ſit neceſſaria (*iure diuino*, addit Apol. p. 160) nec ſint onerandae conſcientiae cura enumerandi omnia delicta, quia impoſſibile eſt omnia delicta recitare. A. C. IV. Abus.

Cf. IO. DALLAEI *de ſacramentali ſ. auriculari Latinorum confeſſione diſp.* Geneu. 1661. 4. *Hiſtoria confeſſionis auricularis, auctore* IAC. BOILEAV Pariſ 1684. 8. Videatur etiam WILLII libellus egregius *Vom Urſprung der Privatbeicht zu Nürnberg und deren Abſchaffung.* Altdorf. 1786. 4.

§. XXXIX.

DE ABSOLVTIONE.

Docentur homines, vt abſolutionem plurimi faciant, quia ſit vox Dei et mandato Dei pronuncietur. Ornatur poteſtas clauium, et commemoratur, quantam conſolationem afferat perterrefactis conſcientiis, et quod requirat Deus fidem, vt illi abſolutioni tanquam voci de coelo ſonanti credamus, et quod illa fides in Chriſtum vere conſequatur et accipiat remiſſionem peccatorum. A. C. IV. Abus.

Sicut enim ſoluere ſignificat remittere peccata. Ita ligare ſignificat non remittere peccata. Ap, p. 199.

Abſolutio autem eſt promiſſio remiſſionis peccatorum. Ap. p. 172.

Ab-

Abſolutio proprie dici poteſt ſacramentum poenitentiae, vt etiam Scholaſtici Theologi eruditiores loquuntur. Ap. p. 167.

Nam et nos confeſſionem retinemus praecipue propter Abſolutionem, quae eſt verbum Dei, quod de ſingulis auctoritate diuina pronunciat poteſtas clauium. Quare impium eſſet, ex Eccleſia priuatam Abſolutionem tollere. Ap. p. 181.

Neque hoc ſenſerunt Patres, mereri homines remiſſionem peccatorum per tales mores aut talia opera. Quanquam haec ſpectacula imperitos ſolent fallere, vt putent, ſe per haec opera mereri remiſſionem peccatorum coram Deo. Verum ſi quis ſic ſenſit, *Iudaice* et *gentiliter* ſenſit. Nam et Ethnici habuerunt quasdam expiationes delictorum, per quas fingebant ſe reconciliari Deo. Nunc autem more antiquato, manet nomen *ſatisfactionis*; * et veſtigium moris, quod in confeſſione praeſcribunt, certae ſatisfactiones, quas definiunt eſſe opera non debita. Nos vocamus ſatisfactiones Canonicas. De his ſic ſentimus, ſicut de enumeratione, quod ſatisfactiones Canonicae non ſint neceſſariae Iure diuino ad remiſſionem peccatorum. Ap. p. 184.

*Huc pertinent Indulgentiae viuis et defunctis pro pecunia attributae, quibus ſacrilegus et damnatus ille Iudas ſeu Papa, meritum Chriſti et merita ſuperflua omnium ſanctorum et

et totius Ecclesiae, vendidit etc. quae omnia et singula nequaquam ferenda sunt, quia carent verbo Dei, non sunt mandata, non sunt necessaria. Art. Smalc. A. p. 310.

DE PRAEDESTINATIONE ET ELECTIONE DEI.

§. XL.

Primum omnium est – discrimen esse inter *praescientiam* et *praedestinationem* s. aeternam electionem Dei.

Praescientia enim Dei nihil aliud est, quam quod Deus omnia nouerit, antequam fiant. – Haec Dei praescientia simul ad bonos et malos pertinet, sed interim non est causa mali, neque est causa peccati, quae hominem ad scelus impellat. – Neque haec Dei praescientia causa est quod homines pereant.

Praedestinatio vero – tantum ad bonos et dilectos filios Dei pertinet et haec est causa ipsorum salutis. Etenim eorum salutem procurat, et ea, quae ad ipsam pertinent, disponit – Haec Dei praedestinatio non in arcano Dei consilio est scrutanda, sed in verbo Dei, in quo reuelatur, quaerenda est. – Qui igitur voluntatem Dei reuelatam inquirunt, eoque ordine progrediuntur, quam D. Paulus in Ep ad Rom. secutus est – iis doctrina de praedestinatione Dei salutaris est et maximam consolationem affert. Quod vero scriptum est: multos quidem vocatos, pau-

paucos electos esse; non ita accipiendum est, quasi Deus nolit, vt omnes saluentur, sed damnationis impiorum causa est, quod verbum Dei aut prorsus non audiant, sed contumaciter contemnant – et hoc modo Spiritui s. viam ordinariam praecludant, vt opus suum in iis efficere nequeat. – In Christo electio aeterna dei patris est quaerenda. Is in aeterno suo consilio decreuit, quod praeter eos, qui filium eius I. C. agnoscunt et in eum vere credunt, neminem saluum facere velit. Epit. p. 617-20.

DE RESVRRECTIONE MORTVORVM ET FVTVRA VITA.

§. XLI.

Item docent, quod Christus apparebit in consummatione mundi ad iudicandum, et mortuos omnes resuscitabit, piis et electis dabit vitam aeternam et perpetua gaudia, impios autem homines ac diabolos condemnabit, vt sine fine crucientur.

Damnant Anabaptistas, qui sentiunt hominibus damnatis ac diabolis finem poenarum futurum esse. Damnant et alios, qui nunc spargunt iudaicas opiniones, quod ante resurrectionem mortuorum, pii regnum mundi occupaturi sint, vbique oppressis impiis. A. C. XVII.

Cf. Fi-

Cf. *Fides dogmatis de resurrectione carnis per IV. priora secula, enarratio historico - critica* GVIL. ABR. TELLERI Halae 1766. 8. IOH. AVG. DIETELMAIERI *commenti fanatici de rerum apocatastasi historia* antiquior. Altdorf 1769.

Nos fatemur vitam aeternam mercedem esse, quia est res debita, propter promissionem, non propter nostra merita. Ap. p. 136.

Quapropter purgatorium et quicquid ei solennitatis, cultus et quaestus adhaeret, mera Diaboli larua est. Art. Smalc. II. p. 307.

DE INVOCATIONE.

§. XLII.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

De cultu Sanctorum docent, quod memoria sanctorum proponi potest, vt imitemur fidem eorum, et bona opera iuxta vocationem. Sed Scriptura non docet inuocare Sanctos, seu petere auxilium a sanctis. Quia vnum Christum nobis proponit mediatorem propitiatorium, Pontificem, et intercessorem. Hic inuocandus est, et promisit se exauditurum esse preces nostras et hunc cultum maxime probat, videlicet, vt invocetur in omnibus afflictionibus 1 Ioh. 2. *A. C.* XXI.

Non est mandata (inuocatio SS.) nec consilio, nec exemplo, nec testimonio Scripturae nititur. - Etsi *angeli* in coelo pro nobis orent, (sicut ipse quoque Christus facit) et

et *sancti* in terris et fortassis etiam in coelis: tamen inde non sequitur, angelos et sanctos a nobis esse inuocandos. *A. Sm.* p. 311.

Cf. IO. DALLAEI *aduersus Latinorum de cultus religiosi obiecto traditionem disp* Geneu. 1664. 4. EI *de imaginibus libri IV.* Lugd. Bat. 1642. 8. FRID SPANHEMII. *historia imaginum restituta.* Lugd. Bat. 1686. 8.

Reliquiae Sanctorum, refertae multis mendaciis, ineptiis et fatuitatibus. Canum et equorum ossa ibi saepe reperta sunt. Et licet aliquid forte laudandum fuisset, tamen propter imposturas istas, quae diabolo risum excitarunt, iamdudum damnari debuissent, cum praesertim careant verbo Dei, et non necessariae et inutiles sint. Art Smalc. II. p. 310.

§. XLIII.

DE PERFECTIONE CHRISTIANA ET CVLTV DIVINO. ITEM, DE VITA MONASTICA.

Praeterea obscurantur praecepta Dei, et verus cultus Dei, cum audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis, quia *perfectio Christiana* est serio timere Deum et rursus concipere magnam fidem et confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum, petere a Deo et certo expectare auxilium in omnibus rebus gerendis iuxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, et seruire vocationi. In his rebus est vera

vera perfectio et verus cultus Dei, non eſt in coelibatu aut mendicitate aut veſte ſordida. Verum populus concipit multas pernicioſas opiniones ex illis falſis praeconiis vitae Monaſticae. Audit ſine modo laudari coelibatum, ideo cum offenſione conſcientiae verſatur in coniugio. Audit ſolos mendicos eſſe perfectos ideo cum offenſione conſcientiae retinet poſſeſſiones, negociatur. Audit conſilium Euangelicum eſſe de non vindicando, ideo alii in priuata vita non verentur vlcisci, audiunt enim conſilium eſſe, non praeceptum. Alii omnes magiſtratus et ciuilia officia iudicant indigna eſſe Chriſtianis. A. C. VI. Abus.

Definitio cultuum Dei, e MELANCHTHONIS *locis comm. theol.* p. 629: Cultus Dei eſt opus mandatum a Deo, ſeu certo Dei teſtimonio inſtitum, quo Deus pronunciat, ſe honore affici, faciendum hoc fine, aut immediato aut principali, vt Deo obtemperetur, et vt Deus celebretur, et quidem faciendum praelucente fide in Chriſtum.

In ſumma cultus Noui Teſtamenti eſt ſpiritualis, hoc eſt, eſt iuſtitia fidei in corde, et fructus fidei. Ideoque abrogat Leuiticos cultus. Ap. p. 256.

Cultus in Euangelio praecipuus eſt, à Deo velle accipere remiſſionem peccatorum, gratiam et iuſtitiam. Ap. p. 126.

Et poſtea diſputauerunt, qui fieret, quod tanta varietate coleretur Deus, quaſi vero obſeruationes illae eſſent cultus, et non potius exter-

ternae et politicae ordinationes nihil ad iuſtitiam cordis ſeu cultum Dei pertinentes, quae alibi caſu, alibi propter quasdam probabiles rationes variant. Ap. p. 151.

Sacrificium eſt ceremonia vel opus, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus. Sunt autem Sacrificii ſpecies proximae duae, nec ſunt plures: Quoddam eſt ſacrificium propitiatorium, id eſt opus ſatisfactorium pro culpa et poena, hoc eſt, reconcilians Deum, ſeu placans iram Dei, ſeu quod meretur aliis remiſſionem peccatorum, Altera ſpecies eſt ſacrificium εὐχαριστικόν, quod non meretur remiſſionem peccatorum aut reconciliationem, ſed fit a reconciliatis, vt pro accepta remiſſione peccatorum et pro aliis beneficiis acceptis, gratias agamus ſeu gratiam referamus. Sed re vera vnicum tantum in mundo fuit ſacrificium propitiatorium, videlicet mors Chriſti vt docet Epiſtola ad Ebraeos, quae ait: Impoſſibile eſt ſanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Et paullo poſt de voluntate Chriſti. In qua voluntate ſacrificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel. Ap. p. 254.

Sacrificia laudis, praedicatio Euangelii, fides, inuocatio, gratiarum actio, confeſſio, afflictiones ſanctorum. Immo omnia bona opera ſanctorum. Haec ſacrificia non ſunt ſatisfactiones pro facientibus vel applicabiles pro aliis, quae mereantur eis ex opere operato

to remiſſionem peccatorum ſeu reconciliationem. Fiunt enim â reconciliatis. Et talia ſunt ſacrificia Noui Teſtamenti, ſicut docet Petrus 1 Petri II. Sacerdotium ſanctum, vt offeratis hoſtias ſpirituales. Opponuntur autem hoſtiae ſpirituales, non tantum pecudibus, ſed etiam humanis operibus, ex opere operato oblatis, quia ſpirituale ſignificat motus ſpiritus ſancti in nobis. Ap. p. 256.

Lex habebat picturas ſeu vmbras rerum futurarum. Ideo in hoc ſpectaculo Chriſtus et totus cultus noui Teſtamenti pingitur. Crematio agni ſignificat mortem Chriſti. Libatio ſignificat, vbique in toto mundo credentes illius agni ſanguine aſpergi per Euangelii praedicationem, hoc eſt, ſanctificari, ſicut Petrus loquitur: In ſanctificationem Spiritus, in obedientiam et aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: Oblatio ſignificat fidem, inuocationem, et gratiarum actionem in cordibus. Vt igitur in veteri Teſtamento vmbra cernitur, ita in nouo res ſignificata quaerenda eſt, non aliustypus tanquam ad ſacrificium ſufficiens. Quare etiamſi ceremonia eſt memoriale mortis Chriſti, tamen ſola non eſt iuge ſacrificium; ſed ipſa memoria eſt iuge ſacrificium, hoc eſt, praedicatio et fides, quae vere credit, Deum morte Chriſti reconciliatum eſſe. Ap. p. 260.

Conſtat autem certo, peregrinationes iſtiusmodi, carentes verbo Dei, nobis mandatas

exerceri saeuitiam, quam aduersus coniugium sacerdotum. Deus praecipit honore afficere coniugium. Leges in omnibus rebus publicis bene constitutis, etiam apud Ethnicos, maximis honoribus ornauerunt. Paullus vocat doctrinam daemoniorum, quae prohibet coniugium. 1 Tim. 4, 3.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, vt mulieres nubant, quae non seruant promissam castitatem. A. C. II. Abus.

Cf. GEORG CALIXTI *de coniugio clericorum liber, quo et libertas huius coniugii aduersus pontificias leges, Hildebrandinam haeresin, Baronium, Bellarminum et socios, ex iure diuino et humano vindicatur, et praecipue, quidquid vnquam in ecclesia tentatum gestumque sit, ad hanc libertatem, vel conseruandam, vel infringendam ac denique abrogandam ex historiae fontibus ordine suo accurate narratur. Emendatius edidit in capita sua diuisum, indicibus locupletatum, addita praefatione et appendice* (de restituendae clerogamiae consiliis et conatibus) HENR. PHIL. CONR. HENKE. Helmstad. 1783. 84. II Partt. 4.

DE SCANDALO.

§. XLVIII.

Apostoli iusserunt abstinere a sanguine, quis nunc obseruat? neque tamen peccant, qui non obseruant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare conscientias tali seruitute,

ſed ad tempus prohibuerunt *propter Scandalum.* A. C. VII Abus.

Ne conſcientiae onerentur, vt ducant res eſſe neceſſarias ad ſalutem, ac iudicent ſe peccare, cum violant eas *ſine aliorum offenſione.* A. C. VII Abus.

MELANCHTH. *loc. theol.* p. 643. Scandalum eſt dictum aut exemplum, quo alius fit deterior, ſeu quia error in eo confirmatur, ſeu quia imitatur malum exemplum, ſeu quia flammas maiores odii aduerſus euangelium concipit. — Eccleſia ſic vtitur appellatione ſcandali, aliis ſcriptoribus hic vſus ignotus eſt, qui dicerent exempla ſ. παραδειγματα nocentia. Et *correlatiuum ſcandali* eſt offenſio; ac interdum ſcandalum, quod ſignificat obiectum, pro ipſa offenſione ſumitur. Duplex eſt autem ſcandalum ſeu duplex offenſio. Prior offenſio eſt Phariſaica, ſeu, vt vocant, *ſcandalum acceptum,* videlicet, cum impii iraſcuntur verae doctrinae euangelii, aut honeſtis ac neceſſariis factis, vt cum nolunt proponi veram doctrinam, aut nolunt aboleri cultus idolorum, nolunt ſacerdotem pium honeſte in coniugio viuere.

DE LIBERTATE CHRISTIANA

§. XLIX.

Si ius habent Epiſcopi onerandi Eccleſias infinitis traditionibus, et illaqueandi conſcientias, cur toties prohibet ſcriptura condere et audire traditiones? cur vocat eas doctrinas daemoniorum? Num fruſtra haec praemonuit Spiri-

Spiritus sanctus? Relinquitur igitur, cum ordinationes institutae tanquam necessariae, aut cum opinione promerendae gratiae pugnent cum Euangelio, quod non liceat vllis Episcopis tales cultus instituere aut exigere. Necesse est enim in Ecclesiis retineri doctrinam *de libertate Christiana*, quod non sit necessaria seruitus legis ad iustificationem, sicut in Galatis scriptum est: Nolite iterum iugo seruitutis subiici. A. C. VII Abus.

MELANCHTH. *loc. theol.* p. 656. Quid igitur vocamus libertatem? Num inane vocabulum est, vt sunt Stoicorum paradoxa, s. ineptiae, qui dicunt, solos sapientes liberos esse. Longe alia est *doctrina euangelii de libertate*, de qua Christus loquitur, cum ait: si vos filius liberauerit, vere liberi eritis. Vere, inquit, liberi, non inani titulo, aut vmbra libertatis, sed re ipsa, deleto peccato, placata ira dei, abolita morte, sublatis omnibus calamitatibus humanis, donati aeterna iustitia, luce, vita, gloria.

CONSPECTVS LIBELLI.

CO-

CORRIGENDA.

P. V. l. 16. l. *quo me*. P. VI. l. 2. del. *comma* post *pugnent*. P. VIII. l. 15. et 18. deleantur *commata*. P. XVI. l. 17. del. comma ante *dissidia*. P. XXI. l. 21. l. *Symbolis* p. *Symbolicis*. P. XXV. l. 19. *appellari* p. *appellati*. P. XXXII. l. 20. deleatur *colon*. P. XXXIII. l. 3. l. *Ecclesiasticarum* et l. 11. *adscripserunt*. P. XXXIV. l. 19. *composuerunt*. P. XL. l. 14. del. 4.

P. 2. l. 18 l. *usi* p. *usi*. P. 5. l. 3. l. *naturae* p. *naturas*. P. 6. l. 14. 15. l. *promanat* p. *promanet*. P. 6. l. 17. l. *p*. 769 p. 768. 69. P. 8. l. 28. deleatur comma, quod vocab. *proprietates* sequitur. P. 14. maiusculis literis praefigatur inscriptio: DE HOMINE. P. 16. l. 13. l. *della* p. *delle*. P. 17. l. 5. l. *certiorem*. P. 22. l. 27. l *et* p. *e*. P. 24. l. 3. l. *Quid*. P. 24. l. 20. l. scribatur *colon* loco *puncti*, quod vocab. *mortis* sequitur. P. 26. l. 18. *denique*. P. 29. l. 9. l. *condigni* p. *indigni*. P. 32. l. 25. deleatur *punctum*. P. 33. l. 2. l. *disciplina*. P. 36. l. 2. l. *contemtus*. P. 36. l. 8. l. *hi* p. *hic*. P. 37. l. 23. add. *A. C. VII*. P. 38. l. 27. l. *p*. 144. 45. P. 90. l. 12. l. *remiseritis*. P. 42. l. 8. l. *sed*. P. 42. l. 4. l. *est* p. *et*. P. 42. l. 24. l. *utuntur* p. *voluntur*. P. 47. l. 2. l. *gentes*. P. 49. l. 16. l. *assuesit*. P. 51. l 21. l. *Salmasii* p. *Sal. Masii*. P. 53. l. 10. add. *Geschichte des Kelchs im Abendmahl von* SPITTLER. Lemgo 1781. 8. P. 60. l. 6. add. *Kritische Geschichte des Chiliasmus* (autore CORODIO) Francof. et Lips. (Tigur.) 1783. III. 8.